K $\frac{2}{4}$

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

Digitized by Google



Francofurti, apud Mart. Hallervord.

MEMORIÆ

JURISCONSULTORUM

NOSTRI SECULI

CLARISSIMORUM

RENOVATÆ

DECAS PRIMA,

CURANTE

M. HENNINGO VVITTEN.

FRANCOFURTI,
Apud MARTINUM HALLERVORD.
Typis JOANNIS ANDREÆ.

Anno M. DC. LXXVI.

Digitized by Google

TACITUS LIB. ANNAL. XVI.

DETUR HOC ILLUSTRIUM VIRORUM POSTERITATI, UT QUEMADMODUM EXEQUIIS A PROMISCUA SEPULTURA SEPARANTUR; ITA IN TRADITIONE SUPREMORUM ACCIPIANT HABEANTQUE PROPRIAM MEMORIAM.

Digitized by Google

VIRO

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, PERSTRENUO, AC PRUDENTISSIMO,

DN. HERMANNO SAMSONIO,

HEREDITARIO IN KOLTZEN,
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS SUECIÆ
BURGGRAVIO IN INCLUTA LIVONORUM
METROPOLI, RIGA, EMINENTISSIMO,
PRO-CONSULI PATRIÆ AMPLISSIMO,
ÆRARII PUBLICI CUSTODI
SUPREMO AC LONGE
FIDELISSIMO,

ERUDITORUM SUOQUE PARITER MECOENATI PERQUAM BENIGNO,

UT

CIVITATI DECUS,
CIVIBUS PATROCINIUM,
POSTERIS EXEMPLUM
EGREGIE PORRO SUBSISTAT,
DEUM PROPITIUM,
VITAM LONGÆVAM,
CONSILIA PROSPERA,

 CUM

BIBLIOTECA NAZIONALE VE. ROMA

Digitized by Google

CUM CONTINUA ANIMI CORPORISQVE SALUTE,
CALIDISSIMO PRECATUR VOTO,
EIDEMQVE,
PRO BENEFICIIS IN HUNC USQUE DIEM
AC SINGULARI PLANE ADFECTU
VBERTIM DECLARATIS,

HOSCE DEVOTI ANIMI TESTES,

SUMMORUM NEMPE ALIQVOT VIRORUM EXUVIAS,
DEMISSE OFFERT ET NUNCUPAT,
ADEOQVE VENERABILE EJUS APUD NOS
ET NUNQVAM SATIS LAUDATUM NOMEN,
ETIAM HOC, SI FIERI POSSIT, PACTO,
IMMORTALITATI COMMENDAT,
TAM GLORIOSI IN PERPETUUM NOMINIS
CULTOR ET ADMIRATOR
OBSERVANTISSIMUS.

M. H. VVITTE.

LECTU-

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LECTURIS.

Ὀγιαίνειν καὶ εὐδιάγειν.

THeologos aliquot, ſuperiori jam annô, panegyricis ſuis deſcriptos, in publicum emiſimus. Non tamen omnes, quos animo tum quidem deſtinavimus. Septimam quippe Decadem Typographus ſuâ ſponte, omnem præter ſpem & exſpectationem, ineditam detinuit. Quid? quod Venerandi quoque poſt fata Noribergenſium Antiſtitis, Johannis Sauberti, gloriæ non nihil detraxit, dum utiliſſima ejus ſcripta, prolixè à nobis recenſita, nullo planè verbo expreſſit. Inde aliisq; de cauſis factum, ut reſiduos, novo quodam includendos ſeptenario, orbi erudito exponere nondum potuerimus. Ne vero quisquam ſuo fortaſſis defraudetur, quod de tot præſtantium virorum vitis edendis concepit, deſiderio, JCtos impræſentiarum producimus pariterque Medicos. Nec eos nunc quidem omnes atque ſingulos, ſed quos, promulſidis tantùm loco, dare viſum fuit. Utinam verò promiſſa Amicorum opera, ceu anxiè deſideravimus, opportunè adveniſſet! Longè plures omniq; memoriâ digniſſimos, in famæ immortalis theatrum denuò ſpectandos, exhibuiſſemus. Quamobrem & Te iterum rogamus, *Lector benevole* ut Majorum ſive Amicorum Tuorum Manibus favere, nobisque eorum transmittere funebria velis, quo meritorum à poſteris gratam perpetuamque obtineant memoriam. Magnorum etenim virorum vita nitidum quaſi ſpeculum, in quo illuſtres ſpectentur virtutes aliis ſingulari curâ imitandæ. Imo, ſi quis à prima ſtatim juventa literis imbuendus, & ad ſcientiarum ac linguarum quarumlibet cognitionem ducendus, hem! quantum poterunt & hîc conducere eximiâ cum

 laude,

Digitized by Google

laude præeuntium veſtigia? Exempla ſanè, uti omnes novimus, magis movere, quàm præcepta ſolent. Si proinde hujuſcemodi inſtitutum, quod in celebrium hominum actionibus recenſendis conſiſtit, clariſſimam divinæ Providentiæ ſcenam dicerem, à veritate haud alienum dicerem. Quoties enim abjectiſſimi, pauperum nempe Paſtorum Opificumque filii, quin & nonnunquam ruſticorum, Regibus atque Principibus à conſiliis, præcipuique ſunt cum in Magnatum Aulis, tum præclaris hinc inde Civitatibus? Hoc evidentiſſimè ſummus in Iſraële quondam Rex ſimulque Propheta, David, ſuo ac aliorum comprobavit documento, dum divinâ excitatus veritate hanc aliquando vocem emiſit: מְקִימִי אֱלֹהֵינוּ יְהוָה לְהוֹשִׁיבִי: אֶבְיוֹן יָרִים מֵאַשְׁפֹּת עִם־נְדִיבִים עִם נְדִיבֵי עַמּוֹ מֵעָפָר דָּל; Tacebo, quod ingenuus quiſque ex horum præcellentium Doctorum vitâ egregiè peractâ, bene vivendi ſtudendique rationes ac paradigmata capere poſſit. Tacebo, quantum utique præſtet ſolatii, afflictos videre fratres, benigno DEI OPM. MAX. nutu atque auxilio, è lucta omnique ærumna feliciſſimè tandem liberatos. Tacebo εὐθανασίαν vix aliunde efficacius addiſci poſſe, quàm à tot tantiſque eruditorum luminibus, præprimis cùm illud ipſis jam inſtat momentum, quô corporis ſui claudere debeant lumina. Quantâ inſuper fiduciâ, quô heroicô planè Spiritu, cœleſtibus ſæpe inhiârunt gaudiis? Quoties quiſpiam morti vicinus, de hujus vitæ tædio rerumque humanarum vanitate, tam bene prolocutus, ut nemo poſſet melius? Tacebo ingentem, quam ex harum diſſertationum lectione aſſidua percipimus, voluptatem, ut proinde ὁ θαυμάσιος. Conringius haud immeritò, in quadam ad Golda-

ſti

ſti Epiſtolas præfatione, quæſiverit: *Quem bonum atque eruditum non delectet audire lumina ſui ævi?* Verùm vendibili huic vino nequaquam ſuſpenſa opus hedera: Nec noſtrum eſt, prolixâ id laude proſequi, quod à nemine hactenus reprehenſum. Imo viris nonnunquam ſummis æquè obtigiſſe ſummos Panegyriſtas cernimus, quorum vel nuda nomina Lectorem tacitè alliciunt ſuaviſſimeque trahunt. Inde piaculum nobis fuit, doctis eorum ſermonibus quicquam detrahere aut immutare, licet interdum prolixiores apparerent. Suaſerunt equidem aliqui de Republica literaria meritiſſimi Viri, ut proprio conſtringeremus ſtylo, quæ alibi diſperſa jacent, reſectis ad nucleum hiſtoriæ haud æquè pertinentibus. Verum à nobis hôc fieri modô vix potuit. Dum enim omnes ſingulosque producere eruditos, ſcriptorum gloriâ præ cæteris illuſtres, nondum nobis erat integrum, ideoque *ἄνευ προοιμίυ* & ſine capite illos protrudere, ne manca ac inſipida remaneret dictio, non auſi ſumus. Et ſi diſertiſſimorum plerumque Oratorum floſculos, in renovatis Clariſſimorum hujus ſeculi Virorum memoriis, planè ſperneremus, à temeritatis reprehenſione parum nos remotos fore, animus jam prævidebat. Queribundâ quippe quàm plurimi in nos voce, vel etiam calamo, inſurgerent, ac ſi Majorum ſuorum gloriæ invidi, debitum illis elogium conſultò prætermittere voluiſſemus. Metuendum igitur, ne in nos quoque ſua vibrarent ſpicula, partiumque objicerent ſtudium, prout à graviſſimo quodam inter Noſtrates Theologo, in ſimili olim opere verſatus, Melchior Adami, iſtô accuſari crimine promeruit. Quod reliquum eſt, bonos æquosque omnes enixè rogamus, ut nos excuſa-

tos habeant, ſi ſingula, uti decebat, Juriſconſultorum ac Medicorum Scripta hîc enarrata minimè inveniant. Dabimus enim ſedulò poſthac operam, ut coronidis alicujus loco ſuppleamus, quicquid intactum modò, reliquimus. Nec præterea cordatum quempiam commoturum confidimus, quod in collocandis ſubinde Epicediis nullum fermè ordinem ac perſonarum obſervaverimus dignitatem. Interdum Serius talia ad nos pervenerunt, non nunquam ſtudio id quoque fecimus, ut ὁ λόγος ἐπιτάφιος cæteris poſtponeretur. Diſputationes denique recenſuimus, quas ſub hujus aut illius moderamine habitas invenimus, quamvis inter eas & inaugurales vel exquiſiti doctiſſimorum Reſpondentium labores fuerint, quod tamen adeo accuratè diſcernere nihil opus videbatur. Nam titulos coloresque frequenter admodum fallere, & juvenes id ſibi haud rarò vindicare, quod ex Doctorum ſuorum ore aut calamo fideliter exceperunt, rerum magiſtra docuit experientia. Sub Præſidis igitur nomine, ut moris quoque eſt, Diatribas iſtas Academicas & nos, in præſenti qualicunque opuſculo, indigitavimus. Nihil nunc amplius reſtat, quàm ut mox ſequentium de literis ſtudiisque bene meritorum Heroum anathemata in honoris fano ritè ſuſpendamus, Teque ex voto valere jubeamus. Dab. Rigæ Livonum. Pridie Calend. Septembris, Anno χριστογονίας CIↃ IↃC LXXV.

SERIES

SERIES JCTORUM
PRIMÆ DECADIS.

Obiit anno

1601. Henricus Camerarius D. & Profeſſ. Roſtoch.

1613. Cunradus Rittershuſius D. & Prof. Altorph.

1616. Scipio Gentilis D.& Prof. Altorph.

1618. Gothofredus Antoni D. & Profeſſ, Gieſſenſis.

1619. Petr. Gudelinus D.& Prof. Lovanienſ.

1619. Leopoldus Hackelmannus D.& Prof. Lipſienſ.

1622. Dionyſius Gothofredus D. & Prof. Argentor.

1623. Joachimus Stephanus D. & Profeſſ. Gryphiswald.

1624. Erneſtus Cothmannus D. & Profeſſ. Roſtochienſ.

1624. Benedictus Carpzovius D. & Cancellar. Saxon.

Digitized by Google

PROGRAMMA
in funere
VIRI OPTIMI
HENRICI CAMERARII,
J.U.D. & Profeſſoris in alma Academia Roſtochienſium: Ducum Lunæburgenſium & Pomeraniæ Illuſtriſſimorum Conſiliarii digniſſimi,

Publicè propoſitum,
à
RECTORE ACAD. ROSTOCHIENSIS,
VALENTINO SCHACHTIO,
SS. Theol. Doct. & Profeſſore.

PRæclarum & magnificum Juriſconſulti inſigniter docti, prudentis, verè boni, juſtitiæ & æquitatis amantis, & ſalutem ac pacem populorum civiumque ſpectantis, & ſeriò promoventis Encomion recitat Orator ille ſummus, cùm ſcribit: *Eſt ſine dubio domus Iuriſconſulti totius Oraculum Civitatis*; & de ipſo verè pronunciari poteſt, quod apud Ennium Pythius ille Apollo dicit; ſe eſſe illum, unde ſibi, ſi non populi & Reges, at omnes ſui cives conſilium expetant:

Suarum rerum incerti, quos ego mea ope, ex
Incertis certos compotesq; conſili
Dimitto, ut ne res temerè tractent turbidas.

Qui verò jus civile contemnendum putat, is vincula revellit non modò judiciorum, ſed etiam utilitatis vitæque communis. Quique interpretes Juris vituperat, ſi imperitos juris eſſe dicit, de hominibus, non de jure civili detrahit: ſin peritis non putet eſſe obtemperandum, non homines lædit, ſed leges ac jura labefactat. Eſt namq; Jus Civile, quod néque inflecti gratiâ, néque perfringi potentiâ, néque adulterari pecuniâ poteſt. Et verus Juriſconſultus

Digitized by Google

ſultus eſt, qui ſcelus fraudemque nocentis poteſt dicendo ſubjicere odio civium, ſupplicioque conſtringere, idemque ingenii præſidio innocentiam judiciorum pœnâ liberare: idemque languentem labantemque populum, aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare: qui deniq; quemcunque in animis hominum motum res & cauſa poſtulet, eum dicendo vel excitare poteſt vel ſedare. Sic enim Cicero illum in Oratore deſcribit. Talem ingenio, arte & eloquentiâ præcellentem Juriſconſultum, Theoreticum pariter & Practicum, proh dolor, Academia noſtra mœrens lugensque nunc amiſit, vel potiùs in cœleſtem Scholam præmiſit, *Doctorem* HENRICUM CAMERARIUM, cujus domus revera fuit Oraculum non hujus tantùm Urbis & Ducatus, ſed etiam aliquot vicinorum Principum & Civitatum, quibus ille à conſiliis; & *κτημάτων πάντων τιμιώτατον, ἀνὴρ φίλος, ξυνετός τε καὶ εὔνοος* fuit, ac nominari meritò *κοινὸν ἀγαθὸν* poteſt, qui nulli nocere, omnibus autem prodeſſe, & de ſingulis bene mereri ſtuduit, quique nimio labore, vigiliis & ſtudiis intempeſtivis, multisq; profectionibus, propter aliorum ſalutem & utilitatem ſuſceptis, ſeipſum exhauſtum, eheu, nimis maturè conſumpſit. Tantùm enim annos LIV. vel circiter vixit, & in medio curſu ætatis florentis, noſtro ſuorumque incommodo non parvo, præter ſpem omnem & expectationem, nobis ereptus eſt. Ideò vehementer dolemus ac querulamur, ipſo extincto nunc alteram, & quidem præcipuam noſtræ Academiæ columnam, intra annum non plenè exactum collapſam eſſe. Utinam non propediem plures corruant, quarum jam nutare nonnullas & *πανωλεθρίαν* Academiæ minari gementes videmus. Dona hujus ſancti viri plurima & eximia fuerunt; Pietas in DEUM ſumma, ſacrarum concionum auditus frequens & devotus; preces ardentes, amor erga miniſtros Chriſti ſincerus, Theologiæ non minor, quàm Jurisprudentiæ notitia fundamentalis, largitiones ad pios uſus liberales, eruditio maxima cum humilitate & manſuetudine conjuncta, ingenium ſublime, memoria feliciſſima, dexteritas in judicando ſingularis, facultas in diſputando prompta, ſolida & expedita, perſpicuitas in docendo grata & utilis, quæ prælegendi ratio frequentiſſimum ei auditorium aperuit, & magnam ipſi authoritatem apud ſtudioſos conciliavit, qui agminatim ad

eum

Digitized by Google

eum cupidè audiendum confluere ſolebant. Nunc verò ipſi parietes, intra quos vivus docuit, mortuum gementes fruſtrà revocant, & ſtudioſa juventus redivivi vocem jus interpretantem nequicquam expectat. Promotiones aliquot celebravit, & inter plurimos gradu Doctorum ornavit Celeberrimos Viros, D. *Erneſtum Cothmannum*, D. *Chriſtophorum Sturcium*, D. *Bartholdum* Kichlerum, D. *Henricum Bergium*, D. *Martinum Nordanum*, D. *Hajonem à Neſſa*, D. *Theodorum Mejerum*, fratres DD. *Iacobum* & *Albertum Heinios*, D. *Nicolaum VVildebrandum*, &c. Principes etiam multi, nobiles, ac cives non pauci, docta illius reſponſa dolenter deſiderant. Et inprimis tu *Brunſviga* civis tui optimi conſilio & opera ſalutari, tam repentino ac triſti fato, in ipſa cauſæ graviſſimæ difficilima tractatione, te privatam eſſe, dubio procul altis ſuſpiriis gemis doleſque. Hæc noſtra quoque Communitas, Juris ſui prudentiſſimum & peritiſſimum reformatorem nimis ſerò poſtmodum deploratura eſt. Utinam autem officiorum ipſius præteritorum memoria nunquam apud gratos cives excidat; Et Viduæ ac Orphanis illius inſigne beneficium conferatur. In conjugio felici, tranquillo, ſuavi & fæcundo, cum honeſtiſſima conjuge *Margareta*, filia Dn. *Alberti Dobbinij*, Senatoris olim primarii, fœmina omnibus ornamentis muliebris ſexus condecoratâ, vixit annos XXVI. & talis inter utrumque conjugem amor mutuus fuit, ut verè dici poſſet *σώματα μὲν δύο, ψυχὴν δὲ μίαν εἶναι*. Filiæ ſuperſunt tres, ſimilima proles ſanctiſſimo parenti, quarum pietas, virtus, pudicitia, inſignis verecundia, & erga parentes reverentia & obedientia ſcripto teſtimonio non indigent, ſed ſe ipſas viva imagine omnium oculis obverſante ſatis ſuperque commendant. Certum eſt autem D. *Camerarii*, cujus memoria ſit in benedictione perpetua, domum fuiſſe parvam Eccleſiam Chriſti, in qua ſæpius, & majore pietatis ardore, ſacræ literæ tractatæ, & preces devotæ, quàm in alicujus Theologi ædibus, quotidiè recitatæ hactenus fuerunt. Et cùm veriſſimum ſit, quod in Pſalmo ſcriptum eſt: Generi rectorum benedicetur; ut etiam vetus Poëta rectiſſimè ſcripſit: *εὐσεβέων παῖδες τὰ λῷα, δυσσεβέων δ' οὔ*, non dubium eſt, liberos illius beatos & felices certò futuros eſſe, ſi permanſerint in fide ac timore Domini, quod ſperantes optamus. Emiſit autem ille animam in medio curſu viarum ſuarum, & inſtar militis in acie

acie occumbentis honeſtè, in vocatione ſuâ ſubitò expiravit, dum librum precationum manibus tremulis moriens inter fuſas ad DEUM preces teneret, quaſi erigens & confirmans labaſcens corpus ſuum, certiſſimâ ſpe ſequuturæ reſurrectionis ad vitam & gloriam æternam. Exuviæ corporis inanimis in monumentum ſuum inferentur hora 1. Peramanter igitur oro Dominos Collegas, Doctores, Magiſtros & Studioſos omnes hortor, ut Deductioni funeris frequenter interſint, & ſinguli ſuæ mortalitatis memoriam ſibi renovent, ac iſto officio Viduæ, ejusque liberis majorem in modum plangentibus, ac genero D. *Martino Chemnicio*, Viro longè optimo, vehementer Soceri chariſſimi morte perturbato, dolorem conceptum lenire ſtudeant, & ſimul reverentiam & amorem debitum Clariſſimis & Juris-Conſultiſſimis affinibus ipſius, D.D. *Friderico Heinio*, Conſuli hujus Urbis Ampliſſimo, ejusque generis & filiis, D.D. *Erneſto Cothmanno*, Illuſtriſſimi Principis UDALRICI Conſiliario ac Profeſſori hujus Academiæ digniſſimo, D. *Bartholdo Kichlero*, D. *Martino Nordano*, D. *Nic. VVillebrando*, D.D. *Iacobo* & *Alberto Heinio*, fratribus amiciſſimis, qui omnes partim Scholæ, partim publicæ utilitati ſalutariter proſunt, & toti honeſtiſſimæ Dobbiniorum familiæ cum benevolentia præſtent & declarent. ἐκ γὰρ ἀμχεῖν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακά, quod Apoſtolus etiam graviter monet: *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus*. P.P. Roſtochij 3. Calend. Mart. Anno 1601.

In Memoriam Celebratiſſimi hujus JCti, HENRICI CAMERARII, Orationes conſcripſerunt *Chriſtophorus Sturcius*, JCtus & Hiſtoriarum Profeſſ. Publ. & *Martinus Braſchius*, Logices Prof. P. in eadem Acad. Roſtochienſi.

EPITAPHIUM.

Conditur HENRICUS *parvâ hâc* CAMERARIUS *urnâ*,
Qui jure eximius Doctor utroq; fuit.
Mœſta dolet pietas, cujus ſincerus amator
Liquiſti domui nomina magna tuo.
Iuſtitia hanc mortem lugubri plangit amictu:
Et virtus omnis mœſtior eſſe ſolet.
Non minùs ipſa tamen pietas, jus, cunctaq; Virtus,
Mercedem ſtudiis geſtit ineſſe tuis.

Amiſſus

Amiſſus non es, verùm præmiſſus ad aulam
Cœleſtem; niveum nix tibi fecit iter.

MATTH. ZUBERUS.

*V*ARNIADES *Muſæ & Themides tot Principum & Aulæ,*
Tot populi atq; urbes, fundite nunc lacrumas.
Candor & integritas & recti conſcia Virtus,
Magni idea una viri fama, fides, pietas,
Entheaq; ingenij domitrix prudentia mundi
Occubuére uno heu! cum CAMERARIADE.

EILHARDUS LUBINUS.

HENRICO CAMERARIO,
Viro famâ, virtutibus, & meritis in Remp. clariſſ.
JURECONSULTO PRÆSTANTISS.

ACademiæ Roſeæ Lumini & Columnæ,
Senatus Populique Roſtochienſis Conſiliario,
Familiæ patriæ & affinitati ſibi adjunctæ ornamento ſingulari,
Multorum Principum delicio & amori unico,
In cujus ingenio habitabat Pallas & Themis
In animo pietas, integritas & juſtitia,
In lingua ſedem finxerat Peitho,
Ex vultu & ſermone omnes ſe efferebant charites.
Qui aliis inſerviendo toto vitæ curſu, ſe ipſum conſumpſit,
Quem boni amabant, ne mali quidem odiſſe poterant,
Cui omnes longiſſimam vitam precabantur.

Cum anno ætatis 54. die Febr. 11, repentinâ morte, nullis laboribus fractus, ex hac miſeriarum valle eſſet evocatus.

Hoc Monumentum chartaceum quidem,
ſed ære & marmore precioſius
l. meritoq; poſuit

MART. BRASCHIUS.

VITA

Digitized by Google

VITA
CUNRADI
RITTERSHVSII,
JC. Conſiliarii Reip. Norimbergenſis, & Academiæ ejusdem quondam Anteceſſoris, &c.

Deſcripta

à

GEORGIO RITTERSHVSIO F.

PHiloſophos, qui ad virtutis & gloriæ ſtudium Adoleſcentes ducere hortariq; unicè ſatagunt, hoc ſuaſorium monitum proferre ſcimus: Quicquid tractent vel agant Adoleſcentes, cogitent id ſe in conſpectu reverendi alicujus ſenis facere, qui per anguſtum virtutis tramitem, ad auguſtum honoris faſtigium pervenit, quiq; ex præſcripto rectę, Deoq; ſubjectæ rationis omnes actiones inſtituat, illum imitentur, & ad ipſius vivendi normam ſuam quoque vitam componant. Quod ſi quidam Majorum & è familia ipſorum doctrinæ vel vitæ integritatis, rerumq; præclarè geſtarum laude claruerint, tanto magis ipſis incitamento eſſe debere domeſticum exemplum: ne adulterina videantur ſoboles, atq; in ipſos Ariſtippi apophthegma congruat, qui ejecto filio ſuo *ἀκολάστῳ* & degenere, eáq; de cauſa ab amicis reprehenſus: An neſcitis, reſpondit, ſtigmenta & pediculos æquè à nobis provenire: Quos tamen abhorremus, pedibusq; conculcamus: Ita ergò agendum cum iis, qui ſanguinem tantũ à majoribus ſuis traxerunt, animi verò vel ingenii dotibus illis omninò ſunt diſſimiles. Sin hoc natalium ſplendore Adoleſcentes deſtituantur, iidem animorum curatores atq; Medici eos monent, ut caput altiùs exerant, aliorumq; heroum vitas legant, contemplentur, imitentur. Me, cui Dei munere, pro quo *μεγάλη χάρις αὐτῷ*, honeſtus contigit ortus, ſatis tum Avorum, tum parentis inprimis exemplum ad virtutis & doctrinarum ſtudia urgere poteſt, ita ut opus non habeam foris bene vivendi ſtudendiq; rationem & paradigmata quęrere: Ad illorum virtutem ſi pervenire potis eſſem, haud poſtremum inter viros bonos locum & nomen me conſecuturum omninò confido. Itaq; ut quotidie illos non tantùm ſomniarem, ſed & eorum vitam, acta, geſtáque continuò inſpice-

ſpicerem atq; examinarem, in uſum & memoriam meam nonnulla, quæ in vita Parentis mei deſideratiſſimi ἀξιομνημόνευτα mihi viſa ſunt, conſignavi: quæ cum Typographus ſecum communicari à me petiiſſet, neq; ipſius petitioni refragari, neq; pietatis officio deeſſe volui. Amicum verò Lectorem maximo quæſo opere, ut craſſum filum boni conſulens, eorum potiùs veritati, quæ ex ſcriniis privatisque annotationibus fide ſincerà, absq; fuco & hyperbolicis verborum lenociniis deprompſi, intendat, nobisque faveat.

Natus eſt CUNRADUS RITTERSHUSIUS JC. Anno 1560. qui multis Principibus ac Viris doctis & natalis & mortifer fuit. Lucem eodem anno videre Chriſtian. I. Saxoniæ Elector, Carolus Com. Palat. Rheni, Erneſtus Frider. Marchio Badenſ. Janus Gruterus Antverpienſ. Philologorum noſtri ſeculi Princeps, amicus τῷ μακαρίτῃ noſtro uſq; ad aram optimus & intimus: Caſpar Bauchinus, celeberrimus Baſileenſ. Medicus & Anatom. Vitam cum morte commutavêre Franciſ. II. Galliæ Rex; Guſtavus Rex Sueciæ, Maria Reg. Scotiæ. Philippus Pomer. Dux, Philippus Melanchthon, Georg. Sabinus, Petrus Lotichius. II. Poëta & Med. LL. Alexander Monſign. JC. & plurimi alii. Menſis natalis & fatalis ipſi fuit September, ut ipſe teſtatur Jubilæo ſuo his verbis: Hujus menſis d. 25. primum ante hoſce L. annos hanc lucem aſpexi, in urbe honeſta Brunſviga, honeſtis, & quod caput eſt, Chriſtianis parentibus natus. Hoc menſe lavacro aquæ in Spir. Sancto renatus & Chriſto inſititius, & Eccleſiæ DEI civis factus ſum. Hoc menſe an. ætatis 33. An. Chriſti 1593. primi conjugii mei ſuaviſſimi benedictionem divinitus percepi, & primogenitū filium meum Henricum ſuſcepi. Hoc menſe ex periculo vitæ præſentaneo, quod à ſubmerſione in aquis impendebat, plus vice ſimplici ereptus & in vivis conſervatus ſum: ſemel an. ætatis 14. ineunte (An. Chriſti 1574.) ipſo die Michaëlis, quo die in profluentem Ocræ, Brunſvvigam perlabentis, propè molam arcis decideram, & multum jam aquæ hauſeram, ſuffocationi proximus, ſed ope hominis fortè ſupervenientis extractus. Iterum autem anno 1587 cùm in Mæno navigarem, & Francofurtum (quo tendebam) ferè in conſpectu haberem. Ibi namque unus ex comitibus itineris, qui mihi ignotus, Werthemii nobiſcum conſcenderat navem, in ipſa correptus à malo Spiritu, & ut vetere verbo utar energumenos factus (erat enim, ut poſtea nobis relatum fuit, lunaticus)

ita

Digitized by Google

ita horrendum in modum & vociferabatur & toto ſeſe corpore jactabat, ut navem in utrumq; latus vacillantem conquaſſaret, vixq; à validiſſimis duobus vel tribus viris retineri poſſet, nosque omnes, qui eadem in navi eramus, digitis à morte remoti quatuor (ut ille ait) in diſcrimen vitæ præſentaneum adduceret: ne quid de reliquo terrore dicam, quem omnibus nobis energumenus ille vociferationibus ſuis & corporis contortis diris atq; abſurdis agitationibus incutiebat. Hoc eodem menſe An. 1580. cum Helmſtadii in Acad. Julia ſtudiis operarer, ex lue illa epidemia, quæ tunc temporis fermè totam Europam pervagata multos ſuſtulit, & me quoq; graviſſimè proſtravit atq; afflixit, quaſi à portis mortis & inferis ſum retractus, valetudiniq; per DEI gratiam utcunq; reſtitutus. Hoc denique ipſo menſe ſtudiorum jurisprudentiæ teſtim. publicum conſecutus. Baſil. IX. Septemb. an. 1592. Doctor renunciatus ſum: indeq; Altorfium redii, peregrinatione meâ feliciter confectâ, & domicilium collocare cæpi in Academia iſta: cujus Curatores Nobiliſſimi & Ampliſſ. me paulò ante in Profeſſorum numerum, aliis prælatum competitoribus, benignè cooptarunt. Omitto nunc brevitatis cauſâ alia quædam longinqua itinera, quæ hoc ipſo menſe feliciter confeci, divinâ ope protectus & conſervatus. Nec illud verò reticendum eſt ſingulare DEI beneficium, quod an. 1606. cum hoc ipſo menſe quædam peſtilentiæ ſemina in hac Acad. apparuiſſent, nonnulloſq; infectos nobis eripuiſſent (inter quos etiam CL. V. D. Nicol. Taurellus Montbelgardenſ. Medicus & Philoſ. acutiſſimus, Acad. Noricæ per XXV. annos Profeſſor) maturè illa extinxit: nec ſolùm me cum familia incolumem conſervavit, ſed etiam univerſum corpus Academicum, cujus ego tunc Rectoris vices gerebam, hoc omni metu clementiſſ. liberavit, & diſſipationem cætus Scholaſtici, quæ metuenda nobis videbatur, avertit. Hæc ipſius verbis. Qui divinorum beneficiorum tanquam torrentis in unum menſem confluens ut mirabilis eſt, ita mirabilior dies Matthiæ Apoſtoli, qui Carolo V. Imp. feliciſſ. fuit atque proſperrimus. Ita enim Alfonſ. Ulloa lib. 2. de vita ipſius p. 67. b. Il giorno di S. Matthia a 24. di Febraio, corſe proſpero all'Imperadore Carolo V. Percioche in queſto dì nacque, nel medeſimo fu coronato, in queſto dì vinſe il fatto d'arme della Bicocca: & pag. 69. b. Havendo da più lati aſſaltato il Re Franceſco di Francia, chi aſſediava Pavia, nel Parco lo conſtrinſe a uſcir del

ſuo forte, lo vinſee epreſe nel medeſimo giorno. A. 25. & p. 84.6 II. Carolo V. fu coronato il Giovedia 24. Feb. dell' a. 1533. giorno feliciſſimo perlui nel quale haveva havuto diverſe vittorie, e in quello ſteſſo era nato. Sed de diebus & locis fatalibus, Lectorem remitto ad Mich. Piccart. obſerv. hiſtor. Redeamus in orbitam. De Parentibus & Majoribus Parentis noſtri τῷ ἐν ἁγίοις, ex ipſius autographo ad compatrem quendam ſuum hæc adſcribo: Majores mei ultra Proavum paternum Mindæ domicilium habuerunt, ibique honeſto inter ſuos cives loco fuêre. In ea urbe (ut de cætetis taceam) Proavus meus etiam honoribus functus eſt ampliſſimis. Ibidem avus meus p. m. Henricus Rittershuſius natus eſt Anno 1503. Is amore renaſcentis purioris religionis Wittebergam profectus, Luthero & Philippo diu operam dedit, præter juris civilis ſtudium. Quæ res ipſum Optimo Principi Erneſto, Brunſvvicenſ. & Lüneburg. Duci, ejusque filiis Franciſco Othoni &c. adeò commendavit, ut nomine quidem à ſecretis, revera eum inter primos conſiliarios carum haberent. Cum is Cellæ in aula patrem meum, Balthaſarem, unà cum aliis XIV. liberis procreaſſet, in bonis literis & doctrina pietatis eum diligenter inſtitui curavit, & adoleſcentem Wittebergam miſit D. Philippo commendatum: Ubi cum aliquot annos (quinque aut ſex. puto) in ſtudiis exegiſſet, tandem ob patris ſui morbum (qui ipſum rebus humanis exemit, conflictatum cum quartana per 15. hebdomadas dierum) revocatus eſt domum, & à Principe propter merita patris donatus beneficio Eccleſiaſtico in æde Brunſvvicenſi ad S. Blaſium: cujus jus Patronatus ad illum Principem pertinebat. Ea igitur occaſione parens meus Brunſvvigam venit, ubi ſedem ac domicilium rerum ſuarum fixit, ductâ uxore Margaretâ Bergiâ M. Matthiæ Bergii noſtri ſorore, quæ M. Conradi Bergii Eccleſiaſtæ Brunſvvic. filia erat. Cum eſſet juvenis, Joachimum Mörlinum & Martinum Kemnitium in ſchola publica Brunſvvigæ docentes diligenter audivit tam epiſtolas Pauli, quàm locos communes Philippi. Eorum hortatu ſæpe etiam coram Brunſvvicenſibus contiones habuit. Sed maturè conſilium mutavit, quod ſibi hoc vitæ genus parum conveniens eſſe ſentiret. Itaque ad jus animum adjecit: in quo & privato ſtudio & judicialibus exercitationibus egregiam juris cognitionem eſt aſſecutus. Liberos ſuſcepit ex duobus matrimoniis XI. ex quibus ſex etiamnum ſuper-

ſuperſtites ſumus, duo fratres & quatuor ſorores. Mortuus eſt 9. Auguſt. Anno 1601. Patrui mei partim in Hiſpania & Belgio ſtipendia meruerunt, partim per celebres Saxoniæ & Pomeraniæ urbes honeſti ſunt cives: unus eorum Præfectus eſt arcis in Ducatu Lüneburgenſi. Propatruus meus Gregorius Hildeſiæ in ſummo templo organo Muſico præfuit, aliaque poſtea officia honeſtiora adminiſtravit. Majores mei à linea materna multi Senatores fuerunt Brunſvvigæ, ut etiam nunc quidam ex illa cognatione ſunt: cæteri cives honeſti &c.

Prima pietatis, literarum & bonarum artium fundamenta ὁ μακαρίτης πατὴρ μȣ̃ jecit in ſchola patria, cujus tum Rector erat avunculus ipſius Matthias Bergius, vir linguæ Hebreæ, Græcæ & Latinæ peritiſſimus, Theologus & Poëta non vulgaris, quod ipſius ſcripta jam dudum edita loquuntur famamque augebunt deinceps, σὺν Θεȣ̃ παλάμῃ, edenda. Sub cujus inſtitutione tam præclaros fecit profectus, ut pulcerrimam in parentibus & propinquis de ſe ſpem non circumforaneæ, ſed ſolidæ & profundæ eruditionis atque ſcientiæ excitarit: Qui proinde ſuis etiam partibus deeſſe noluerunt, ipſumque uberioris ingenii culturæ ergo in celeberrimum omnium artium & facultatum emporium Julium, quod eſt Helmæſtadii, An. 1580. ablegarunt: ubi præterquam quod ſacratiſſimæ juris ſcientiæ operam dare cœpit, ſcribendis rebus variis oratione cùm ſolutâ, tum ligatâ Græca & Latina, induſtriam ſuam & in Philologicis dexteritatem ſingularem Profeſſoribus, & inter illos D. Heshuſio, ita probavit, ut de promovendo ipſo Halam Saxonum Anno 84. ad ſcholaſticam functionem conſilia iniverint. Quia verò animus ad ſublimiora tendebat, medullisque ipſius jurisprudentia jam inſederat, repudiatâ Provinciâ iſtâ, telam juris ſub CL. JCtis Joan. Borcholt & Joan. Jagemanno feliciter cæptam, ſibi pertexendam cenſuit. Erat tum præter alias Germaniæ Academias celeberrima Altorfina, nomine ſummorum JCtorum, quos audiendi cupiditate incenſus, à Parentibus petiit, ut integrum ſibi eſſet Altorfium concedere. Idque eò faciliùs impetravit, quod Avunculus & Præceptor quondam ipſius Matthias Bergius ibi Philoſophiæ moralis explicationem ſuſceperat. Relictâ ergo Juliâ, anno 84. ſedem ſtudiorum ſuorum in Academia Norica fixit. Ubi raptus admiratione Giphanii, quem juris-

Digitized by Google

prudentiæ Reginæ, Philoſophiam, Philologiam & Philiſtoriam, tanquam pediſſequas more rariſſimo jungere, & in docendo brevem atque perſpicuum videbat, totus ab ipſius ore pependit: lectiones ipſius non juridicas tantum, ſed & Ethicas & Politicas ſummâ aſſiduitate frequentavit, ſtatuens cum Theone *τὴν ἀκρόασιν τίς ὐκ ἂν ἀσμενίσῃ; τὰ μετὰ πόνων τοῖ ἄλλοις εἰργασμένα ἑτοίμως λαμβάνων.* Et Iſocrati obtemperans, qui *καταναλίσκε*, inquit, *τὴν ἐν τῷ βίῳ χολὴν εἰς τὴν λόγων φιληκοίαν· ὕτω γὰρ τὰ τοῖς ἄλλοις χαλεπῶς εὑρημένα συμβήσεταί σοι ῥαδίως μανθάνειν.* Itaque integra commentaria Ethica & Politica ex ore Giphanii excepit. Et ne *ἀκρόασιν θεωρητικῆς φιλοσοφίας* negligeret, Philippo Scherbio, Med. & Philoſ. peripatetico acutiſſimo in Metaphyſicis auſcultavit, teſtante M. S. quod etiam nunc nobis ad manus eſt. Quâ ſuâ diligentiâ cum publicâ tum privatâ, & Profeſſorum plerorumque amorem, & Senatorum atque Patriciorum Norimbergenſium gratiam ſibi conciliavit eam, ut liberos ſuos inſpectioni fideique ejus concredere nihil addubitaverint. Giphanium verò tanto ſtudio ſectatus eſt, ut cum Altorfio Ingolſtadium migraret, ipſum tanquam umbra corpus comitaretur, & viri exquiſitiſſimi judicii, nulliqꝫ ſecundi doctrinam, quoad liceret hauriret. Ex quo verò Auditor ipſius fuit quinque magna juris volumina: Commentaria in quatuor Libb. Inſtitut. duo juſta volumina in jus civile: Explicationes IX. Libb. Cod. Tractatum de judiciis: de regulis juris: de pignoribus: de jure dotium: de remediis juris: de renunciationibus *&c.* collegit: Quibus intra illud temporis ſpacium conſcribendis neque lynceos oculos, neque tachygraphei manum ſufficere quis diceret? Quo viciſſim affectu atque favore Giphanius Dn. Parentem noſtrum proſecutus fuerit, ſi non ſufficit, quod præſidium diſputationis de Actionibus empti & venditi, habitæ Ingolſtadii 23. Martii. Anno 1591. ipſi non denegavit, argumento ſit, quod ipſum *σύνεργον* ſuorum laborum cooptavit cum in aliis, tum in Commentario de juſtiniano in quo Giphanium ſe virum præſtitiſſe omnes, quibus acetum eſt in pectore, uno ore confitentur. Idem teſtantur literæ frequenter ad ipſum abſentem datæ & cumprimis præfatio Partitionibus Feudalibus præfixa. Nactus eſt inſuper Dn. parens Ingolſtadii Doctorem Andream Fachineum JCtum celeberrimum. Ibidem aliquando diſputationis aleam cum Gregorio de Valentia celebri

Digitized by Google

celebri Jeſuita ſubire non dubitavit: Uſus eſt familiariter cum Profeſſoribus reliquis, tum Philippo Menzelio, & Alberto Ungaro, SS. Theol. Doctore, qui ipſum propter modeſtiam & eruditionis amœnitatem non leviter amarunt, hic verò & hoc elogio inſignivit: Revixiſſe D. Nazianzenum, quia vivat Cunradus Rittershuſius, qui in ſcribendis Græcis carminibus potis ſit genium & ingenium Nazianzeni oſtendere. Cogitans vero *ἀνάπαυσιν ἐν πάντι γλυκεῖαν ἔργῳ*, atque dedecori ſibi ducens ſemper inter libros ſepultum eſſe, hominem tantùm de ſchola aliquando audire: aliorum hominum vitam moresque non cognoviſſe: ſe JCtum atque Politicum in ſocietate civili cum variis vivere non didiciſſe, Anno 87. in Franconiam & Haſſiam excurrit: Francoſurti cum Fr. Modio; Heidelbergæ cum Joanne Poſthio & Paulo Meliſſo: Marpurgi cum Regnero Sixtino, aliisque juris luminibus clariſſimis notitiam contraxit: Anno ſequenti Sueviam peragravit. Anno 87. cum Salomone Panthero, aliàs Rifinio, Bohemiæ Metropolin Pragam luſtravit: An. 91. Auſtriam & Pannoniam adiit, in quo itinere ab illuſtri Comite. Dn. JULIO à SALMIS &c. ad munus Conſiliarii invitatus fuit: quod tamen cùm propter alias rationes, tùm propter compotationes crebas, & modum vivendi à ſe quam alieniſſimum, renuit: ut ipſe elegiâ quâdam ad Joannem Trudiſium Salmenſem ſcriptâ apud Galgocium Pannoniæ, in arce dicti Generoſi Comitis, prid. Cal. Maj. Anno 1591. his verbis fatetur:

Non facit ad mores aulica vita meos.
Non ego magnatum didici captare favorem,
Qui fragilis vitro non minus eſſe ſolet.
Nec me delectant ſtrepitus, pompæque tumentes:
Apta ſed ingenio eſt vita quieta meo:

Eundemque apud ſe retinere ſtudebat Hieronymus Arconatus Leorinus Sileſius, S. C. M. conſilio bellico ab epiſtolis Viennæ menſe Majo Anno 1591. quem tamen renitentem hoc tandem dimiſit Epigrammate.

Vellem ego nobiſcum poſſes Cunrade morari
Innumeros lautâ conditione dies.
Namque tuo ingenio multum Delector amœno,
Delector nitidis carminibusque tuis.
Compoſiti mores & verba carentia fuco,
Prudens ſimplicitas pectoris atque placent.

O quàm vita mihi tecum jucunda, prophana
Quam procul à vulgo dulciter acta foret.
Sed quia te revocant, patriasque reviſere ſedes
Fata volunt, fatis morigerum eſſe decet.
Arbitrio ſuperum (quis neſcit? cuncta reguntur:
Hunc natale ſolum, hunc terra aliena beat.
Vade igitur, curſum vitaque viaque ſecundum
Æthereus Rector per loca cuncta dabit.
Infixa hærebit nobis tua ſemper imago,
Pro te fundemus vota, piasque preces.
Tu facias ut idem cupimus: ſic tempore nullo
Rumpetur noſtra fœdus amicitiæ.

Eodem anno 91. Menſe Julio per agrum Würtenbergicum & Briſgoviam Baſileam adiit, petendi ſupremos in jure honores ergo, quos Tubingenſes & Friburgenſes ultrò ipſi tranſeunti offerebant, ſalvâ quoad hos quidem religionis diverſitate, Examen ſubiit Piraſte D. Samuele Grynæo, & Joh. Gut, JC. tum temporis Rectore: Diſputationem inſtituit, de bonis maternis aliisque adventitiis liberorum: Orationem: An hæreticis data fides ſervanda ſit. Competitores habuit tres: qui cum invidiæ vitandæ cauſa ſorti ordinem committere, quàm Decani judicio maluiſſent: Sors verò D. Cunradum, parentem p.m. ultimum eſſe voluiſſet: Nobilis competitor, cui primus locus erat attributus, ultrò ipſi ceſſit: quod cum ipſe modeſtè recuſaret, accedente reliquorum competitorum voluntate, & Promotoris auctoritate, primo loco conſtitutus, & unanimi Facultatis juridicæ conſenſu, nemine diſſentiente ſolenni ritu Doctor renunciatus eſt V. Idus Septemb. Decano & promotore Samuele Grynæo, Joanne Gut, Rectore. Tiarâ doctorali ornatior Altorfium reverſus, poſtquam publice ibi docere cæperat, maturo conſilio (neque enim more multorum de vacca prius quàm de ſtabulo, ut proverbium habet Germanicum, cogitavit) animum ad matrimonium applicuit, & honeſto amore complecti cæpit HELENAM STAUDNERIAM: natam VII. April. Anno Chriſti 1569. patre GEORGIO STAUDNERO, & matre BARBARA HESSA. Pater cum juvenis Halæ Saxonum juventutem Scholaſticam per aliquot annos inſtituiſſet Wittebergæ Theologiæ operam aliquandiu dedit ſub Philippo Melanchthone Poſtea in Italiam profectus, præcipuas ejus regiones & urbes perluſtravit. Inde reverſus Eccleſiæ Noribergenſis, quæ eſt ad D. Sebaldum, miniſterium ſuſcepit; quo aliquot annos cum laude perfunctus, Soliſbachium

Digitized by Google

chium, quod eſt Palatinatus ſuperioris, oppidũ vocatus eſt, ut ibi in patria ſua Paſtorem ageret, ſimulque vicinarum Eccleſiarum curam & inſpectionem ſuſtineret. Ibi ad ſenectutem usque ſine ullis morbis ac moleſtiis tranquillè vixit, extinctus morbo epidemio autumnali, An. 1580. climactere ſuo 63 quem magnis ferè ingeniis fatalem eſſe experientiâ conſtat. Ita autem ubicunque vixit, ſeſe geſſit, ut omnibus gratus & carus eſſet præſens & vivus, diſcedens verò & moriens magnum ſui deſiderium relinqueret. HELENA mater, poſt Patris obitum, à quo præ cæteris liberis impensè diligebatur, partim Solisbachii apud matrem partim Noribergæ apud fratrem natu maximum GEORGIUM, partim in aula Palatina Principis OTTONIS HENRICI, quæ eſt apud Solisbachium vixit, pediſſequa & in gynæceo curatrix arcæ linteariæ per quadriennium. Cum ea nuptias celebravit Dn. Parens 14. Novembr. An. 1592. & concordanti in matrimonio vixit annos 14. menſes 6. dies 16. Obiit enim ultimo Junii 1607. ex febri. Mater extitit novem liberorum: Henrici, Balthaſaris, Georgii, Nicolai, Ludovici, Annæ-Mariæ, Chriſtophori-Conradi, Helenæ Chriſtinæ & Andreæ: Ex quibus tertius, quartus & quintus filii, & ambæ filiæ, poſt utriusque parentis obitum in vivis mansêre, & ſunt, DEI beneficio, etiam nunc ſoſpites. In viduitate conſtitutus poſt longam deliberationem, utrum præſtaret manere viduum, an ad ſecundas nuptias tranſire, tandem has prætulit, & ſibi elegit alteram vitæ ſociam, Virginem CATHARINAM HOLZSCHUCHIAM, Viri Ampliſſ. & Conſultiſſimi D. PANCRATII HOLZSCHUCHII, JCti, Præfecti Præpoſituræ Bambergenſ. & Advocati Nobilitatis Franconicæ filiam, cujus ſororem alteram natu majorem, Clariſſimus & Juriſconſultiſſimus Vir, Dn. Doct. Andreas Dinnerus in matrimonio habet. Cum ea ergo matrimoniali fœdere ſolenniter junctus fuit d. 19. Jun. Anno 1609. atque ex ea ſuſcepit Juſtum Theodorum & Magdalenam: Qui liberi ſecundi matrimonii in fata mox conceſſerunt.

In quotidiano victu fuit parcus & frugalis: erga pauperes benignus: erga peregrinos cujuscunque conditionis hoſpitalis & φιλόξενος. Frontem libenter exporrexit apud amicos: quorum colloquio ut liberius uti poſſet, non rarò convivia, non ſumptuoſa quidem illa, quibus tamen nihil neceſſarii deerat, honorato præſertim aliquo hoſpite præſente, inſtituit: eaque frequentiora, quò minus ipſi ex

voto aliorum ſyſſitia accedere licebat. Ex voto, inquam, quod Deo liberatori ſuo fecit, cum d. 18. Nov. An. 1602. noctis vigiliâ primâ à convivio quodam valedictorio, habito in ædibus Philippi Scherbii, Profeſſoris & Doctoris Medici, domum tendens, ſicarii qui inermem ſtricto pugione in via publica à tergo invaſit, manus effugiſſet. Cui voto ſincerè ſtetit ad extremum uſque diem: exceptis caſibus, ſi à Dn. Scholarchis, vel Senatu Norico ad convivium fortè vocaretur, vel extra urbem aliquo invitaretur. Quâ morum ſeveritate licet multorum reprehenſionem incurrerit, ſatius tamen duxit, nil Deo vovere, quàm voto contravenire, quidquid dicant vel ſentiant alii, quibus omnibus placere ne Jupiter quidem ipſe poteſt: deque contemnendis vulgi ſermonibus aliquando hos compoſuit verſiculos:

Ne curato, quod hic vel ille garrit,
Vrbs eſt libera, liberaque lingua,
Nemo quas queat abdere in capiſtrum
Fœnove ora, vel obſerare farre.
Nos rectè faciamus atque juſtè:
Rumoresque hominum calumniantium
Omnes unius æſtimemus aſſis:
Quos tandem ſua vanitas refellet
Atque ipſos faciet ſui pudere,
Si qua eſt gutta ſuper pudoris uſquam.

Profeſſioni Inſtitutionum per aliquot annos præfuit, usq; dum poſt diſceſſum ex hac Academia Petri Weſenbecii, Scipioni Gentili, qui prius Pandectas explicabat, ſucceſſio in locum ſublimiorem daretur, Parenti verò Pandectarum Profeſſio demandaretur: Qua durante præter alia explicuit atque prælegit regulas Juris, Materiam ultimarum voluntatum: de judiciis: de contractibus: de donatione mortis cauſa: LL. XII. tab. Synopſin juris publici & privati, quam poſteriorem tamen ad titulum ſaltem de feriis produxit, ubi Deo placuit æternas ipſi ferias indicere. Quanto verò ſtudio & quo fervore profectus Auditorum ſuorum quæſierit, ex eo colligere eſt, cum morbi pertinacia viribus collegii adeundi ipſum exuiſſet, lectoque affixiſſet, Auditores, ne illis morbus damno eſſet, ut ſe privatim convenire non gravarentur, rogavit. in quo labore perſtitit, usq; dum ſuccidanea in abſolvenda lectione horaria opus haberet voce. Præterea in gratiam eorundem Auditorum ſuorum

Digitized by Google

rum à Profeſſione ordinaria non nihil digreſſus, ipſis prælegit doctrinam feudalem: Nec non differentias juris civilis & Canonici: Non ſolùm publicè diſputantes præſidio ſuo juvit, ſed privatim vel Inſtitutionum vel Pandectarum collegia habuit. In ſumma, quicquid ſtudioſi ab ipſo petebant, ad nutum omnia præſtitit. Cujus rei exemplo ſunt Methodicæ Novellarum expoſitiones, itidem in gratiam quorundam Juris Prolytarum privatim traditæ: non ceſſantibus interim vel prælectionibus publicis, vel cauſis in facultate juridica, quæ non raræ erant, decidendis, vel conſulentium reſponſis, vel litigantium proceſſibus. Præter ſtudium juris, quæ ſucciſivis horis egerit vel in Theologicis, vel Philologicis, librorum ab ipſo editorum (quem nos infrà dabimus) monſtrat & exhibet Catalogus. Quibus Herculeis laboribus ſi quis jungat epiſtolas ſingulis ſeptimanis plus vice ſimpla in varias Europæ oras, Galliam, Angliam, Italiam, imo & Græciam ipſam, ad Scaligeros, Dauzas, Thuanos, Caſaubonos, Lipſios, Heinſios, Bongarſios, Maximum Margunium Epiſcopum Cytherorum, & quis omnes enumeret, exarandas, nemo tam invidus erit, quin hanc *φιλοπονίαν* laudet & admiretur. Admirabilis etiam in ipſo fuit memoria, quâ tam variorum auctorum loca innumerato habere potuit, absque adjumento locorum, quos vocant communium, tam in jure, quàm Lectione Patrum, hiſtoricorum, poëtarum & philoſophorum. Memoria tenuit Heſiodi libb. *ἔργ. Καὶ ἡμέρ.* In lectione Homeri ita verſatus fuit, ut in colloquio cum primario jam Anteceſſore Altorfino, tum temporis adhuc adoleſcente, linguæ Græcæ & ſtudioſiſſimo & peritiſſimo D. Andrea Dinnero &c. ſolis aliquando uſus fuerit verſibus Homericis. Cum Archiepiſcopo Conſtantinopolit. qui An. 1607. Altorfinam Academiam ſalutaverat, itidem Græcè converſatus eſt. Præterque alias linguas exoticas impensè delectatus fuit linguâ Gallicâ, cujus cognitionem conſecutus eſt, ut quæ legeret non ſolùm intelligeret, ſed & ad fontes linguæ latinæ exactè revocare ſciret. *Φιλοκερδὴς* omnino non fuit, ſubindeq; illud Theocriti in ore habuit: *αὐτὰρ τιμήντε καὶ ἀνθρώπων φιλότητα πολλῶν ἡμιόνωντε καὶ ἵππων πρόσθεν ἑλοίμην*: *Eſt mihi gloria pluris amicitiaque bonorum plurima quàm mulorum & equorum armenta tenere.*

Non inhio magnis, parvo me duco beatum,
Cum victu tegmen vota repletque mea.

Qua-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Quapropter honoratiſſimas & lautiſſimas vocationes recuſans, à profeſſione provincia quieta & ad finem, ad quem tendebat, apprimè apta nec prece nec precio ſeſe avocari paſſus eſt: adeò ut fruſtra omnem lapidem moverint celeberrimæ cujusdam Reip. Legati, qui Ratisbonam ad Comitia An. 1608. tendentes, flectendi ipſius cauſâ à via deflexerunt, & in ipſis comitiis præſentem ſummo honore affecerunt. Ut taceam conſilia Academiæ Juliæ & Jenenſis de ipſo ad ſe polliciendo. Taceam item ampliſſimorum honorum promiſſiones hinc inde vel Româ etiam ipſi datas, ſi aviditate dignitatum & divitiarum à veritatis & recti tramite abduci potuiſſet. Qui affectus erga Academiam Noricam & Remp. literariam cum inclytum Senatum minimè lateret, ſingularem etiam de valetudine ipſius is curam habuit. Nam cum Anno 1598. febri quotidianâ malignâ laboraret, his ad patrem ſuum D. Balthaſarum munificentiam iſtam verbis deprædicat: Nusquam niſi in hoc morbo meo magis ſe oſtenderunt ſtudia & voluntates erga me omnium ordinum: adeoque & Noribergâ nomine & juſſu publico Collegii DD. Scholarcharum duo Medici ad me bis, primâ vice Nob. V. D. Joachimus Camerarius, & D. Doldius, ſecundâ verò D. D. Herden & D. Doldius, ſine meo ſumptu miſſi ſunt (cæteroquin uſus ſum fideliſſimâ curâ & operâ D. Philippi Scherbii) qui coram me inſpicerent, & in medium conſulerent: me verò bono animo eſſe, deque nulla alia re, quàm de valetudine recuperanda juberent cogitare. Ita cum meo malo ſenſi, quàm carus hîc ſim omnium ordinum hominibus. Quæ me res faciliùs apud exteros detinet &c. Quam προθυμίαν inclyti Senatus Norici (quod non absque præfatione Devotæ gratiarum actionis refero) alterâ quoque vice in hoc eodem genere, de aliis etiam benevoli animi ſignis non loquor, D. parens expertus eſt, cum morbi violentia indies magis magisque vires ipſius proſterneret, ex eadem paterna providentia Ampliſſimus D. Scholarcharum Ordo Experientiſſ. & feliciſſ. Medicum, D. Joachimum Camerarium, quem honoris cauſâ hic nomino, Altorfium ablegavit, exquiſitiſſimis remediis inſtruxit, & θεραπείαν Profeſſoris atque Conſiliarii ſui commendavit ipſi quàm diligentiſſimè. Verùm al mal mortal ne Medico ne Medicina gli val. Malè primum, ut in hoc morbo fieri conſuevit, Dn. parens noſter habere cœpit à tuſſi, inde internæ lancinationes & tormina corporis, ſanguinis

Digitized by Google

guinis expuitio : quæ interna tabis χειτήεια tandem & externè eruperunt, ita corpus attenuando & emaciando, ut præter cutem & oſſa mors nihil invenerit reliqui. Nocte verò priore precationibus & lectionibus librorum conſu.. tis ſuſpiriis quàm devotiſſimè Deo oblatis, manè intra horam quintam & ſextam placidiſſimè, & ne illis quidem, qui à latere ipſi dormiebant, animadvertentibus, diem ſuum eheu! obiit, feriâ III. Pentecoſtes, qui erat dies 25. Maji, anno ætatis LIII. minus IV. menſibus. Anno Ch. 1613. An. Profeſſionis 22 relictâ in mœrore & ſui deſiderio ſummo Viduâ; & è priori matrimonio filiis tribus & filiabus duabus. Sepultus eſt in Cæmiterio ad latus avunculi & præceptoris ſui M. Matthiæ Bergii Ethices quondam in Academia Norica Profeſſoris: Quorum animæ ſint ἐν εὐλογίᾳ καὶ εἰρήνῃ ἕως εἰς ἡμέραν τῆς ἀναστάσεως νεκρῶν. Amen. Scripſi Altorfi XV. Auguſti Anno M. DC. XXII.

SCRIPTA.

Sententiæ Julii Pauli cum Scholiis Anniani recognitæ & emendatæ: *Norib.* 1590. in 8.

Oppiani libri IV. de Venatione: & V. de piſcatione cum latina interpretatione, variis lectionibus è collatione aliquot MSS. & commentariorum: *Lugd. Bat.* 1595. in 8.

Güntheri Ligurinum, ſive de rebus geſtis Friderici Barbaroſſæ, cum commentar. *Tubingæ* 1596. in 8.

Phædri Auguſti liberti Fabularum libr. V. cum Comment. *Lugd. Bat.* 1596.

Maximi Margunii hymni Anacreontici de Græcis Latini eodem genere carminis: *Auguſtæ* 1600. in 8.

Partitiones juris Feudalis in duobus libris: *Hannoviæ* 1603. *Marpurgi* 1615. *Argent.* 1659. in 8.

Iſidori Epiſtolæ ex MSS. Ducis Bavariæ emendatiores, & integro libro prius non edito auctiores; cum notis & argumentis in ſingulas epiſtolas: *Heidelb.* 1600. in fol.

Salviani Maſſilienſis opera, cum commentariis: *Altorfii* 1611. & *Norib.* 1623. in 8.

Malchi ſeu Porphyrii libellus de vita Pythagoræ. ex MSC. primum prolatus & commentariis illuſtratus: *Altorf.* & *Ambergæ* 1611. in 8.

Sex Prophetæ ex numero XII. minorum carmine Hexametro latino conjuncti cum totidem Prophetis D. Jacobi Auguſti Thuani: *Ambergæ* 1604. in 12.

Argu-

Argumenta Græca XII. Prophetarum Minorum ex Græcis Heſichii & aliorum veterum latinè reddita: *ibid.* 1604. in 12.

Orationes duæ de judiciis. Item Philonis libellus aureolus de judice Græcè & Latinè: *Francof.* 1602. 1610. in 8.

Commentar. in Epiſtolas Trajani & Plinii: *Amberga* 1607. in 8.

Speculum Principis civiliter boni: *Lipſia* 1611. in 12.

Optimus Princeps, Trajanus, in lucem reproductus: *Amb.* 1608. in 8.

Orat. de fide cuivis homini ex jure gentium ſervanda: item de Zaleuco & charonda: *Altorf* 1591. in 4.

Amores clariſſimorum Poëtarum elogiis celebrati: *Ibid.* 1593. in 8.

Orationes duæ Joh. Sleidani: *Helmſtad.* 1598.

Photii Patriarchæ CP. de Conſolatione ad Euſebii libellum cum interpretatione & emendatione: 1601.

Boëthius de Conſolatione Philoſophiæ: *Antverpia* 1602.

Apotheoſis Jani Douzæ patris, *Norib.* 1605. in 8.

Conſilia Altorfina: *Hanov.* 1603. 1530. in 4.

Diſp. ad Inſtitutiones Juſtin. *Norib.* 1580. Revocatæ à Paulo Fr. Romano: *Lipſ.* 1671. in 4.

De Jure Aſylorum: *Marpurgi* 1624. in 8.

Jus Juſtinianeum, ſive Novellarum Juſtin. methodica expoſitio: *Argent.* 1615. 1629. in 4. *Francof.* 1615. in 8. 1669. in 4.

Dodecadeltos, ſive in XII. Tabularum leges commentarius novus: *Argent.* 1616. 1659. in 4.

Comment. ad L. Contractus de diverſis regulis juris antiqui: *ibid.* 1616. 1659 in 4.

Differentiarum juris civilis & Canonici libr. 7. *ibid.* 1616. 1618. 1639. in 8. 1668. in 4.

Commentaria in IV. libros Inſtitutionum: *ib.* 1618. 1629. 1649. in 4.

Vita & Mors Heliæ Putſchii Deſcripta: *Hamburgi* 1608. in 4.

Reliquiæ conjecturarum in Panegyricos veteres: *Francof.* 1607. *Hanov.* 1612. in 4.

Sacræ Lectiones: *Norib.* 1643. in 8.

De ultimis Voluntatibus &c.

Lauda-

Digitized by Google

Laudatio Funebris

SCIPIONIS GENTILIS,

JC. Conſiliarii Norici & Acad. Altorfinæ Anteceſſoris Primarii Celeberrimi,

Qui piè in Chriſto obdormivit 7. Eid. Auguſti, Anni cIↄ Iↄ CXVI.

Scripta & dicta

à

MICHAELE PICCARTO,

Franco, Logices & Metaphyſices Prof. ibid.

XXVI. Jan. An. cIↄ Iↄ CXVII.

ILIENSIUM legatis, Auditores, paulò ſeriùs conſolantibus, ſuper filii Druſi morte, quaſi obliteratâ jam doloris memoriâ, Sue- *irridens & ſuperbè contemnens Pater Tiberius*, ſe quoque, ton. *reſpondit*, vicem eorum dolere, quod egregium civem He- Tibe- ctorem amiſiſſent. *Sed reſpondit hoc Tiberius, homo ſævà ac* rio cap. *lentâ naturâ, πηλὸς αἵματι πεφυρμένος,* lutum ſanguine ma- 52. ceratum: *ut puerum etiamnum præceptor Theodorus Gadareus appellare ſolebat:* qui nullum unquam intra animum dolorem admiſit, qui obliterari & expungi deberet, *qui ne liberos quidem ſuos patriâ charitate dilexit, quos crudeliter habitos ἄστοργος ille miſerè tandem trucidavit. Sed ad Tiberim hunc Tiberium, aut ad Phlegethonta potius. Alia Vobis, Auditores, mens, nec vos ita mihi iniqui, quod ſerius ago id, opinione quorundam moroſorum, qui me ipſo officio inofficioſum dicent, cum vix prius agi potuiſſe ſapienter judicetis. Stetimus utique adhuc alio dolore tanquam recenti plagâ ſtupentes attonitique, deinde laudum tanti viri ac meritorum admiratione defixi, dubiique præſtaretnè Scipionis Gentilis τοῦ μακαρίτου ſilere nunc laudes, annalibus poſterorum nunquam ignorandi? an ingenii imbecillioris culpâ deteri imminuique? Acceſſit & timor quidam, neque ille quaſitus aut vanus, ſed juſtus, & hoc ſeculo, hac temporum*

nocte

Digitized by Google

nocte non inſuper habendus. *Poſtquam enim* laudanda facere deſivimus, inviti quoque laudes alienas audimus, & magnam aliquam ac nobilem virtutem eſſe oportet, quæ vincat ac ſupergrediatur vitium parvis juxta magniſque civitatibus commune, ignorantiam recti & invidiam: *reperias ubique locorum & terrarum mures illos, qui rodunt, & ad lapſum atque ruinam lubrica reddunt ea quoque quæ nihil tale præſeferunt, quorum improbitas facit tuta etiam ipſa timenda, quandoquidem vel ubi minimè credas,*

Tacitus Agricola.

- - Incedis per igneis
Suppoſitos cineri doloſo.

Hor. 2. Carm. Od. 1.

Vnde & propter hos roſores alienæ famæ non impetu mero vel dolore, ſed temporis tractu & veluti cum judicio quodam ultimum hoc pietatis officium peragendum mihi viſum, ubi ſub ipſas funeris exſequias ſingultus ſaltem & inter gemitus fracta verba affectumque ſolum & præter illa nihil afferre potuiſſem. Aliter verò docuit nos eminentiſſimus Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptor: Detur, *inquit,* hoc virorum magnorum memoriæ, ut quomodo exſequiis à promiſcuâ ſepulturâ ſeparantur, ita in traditione ſupremorum accipiant habeantque propriam memoriam, non adornatam meris mœroris imitamentis, *non theatricâ etiam aut hyperbolicâ encomiorum jactantia tumentem atque inflatam, ſed quæ vera ſit, & meritis eorum ſine fuco reſpondeat.*

Tacitus 16. Anal.

Fuiſſe autem Virum magnum Scipionem Gentilem ICtum ſi quis dubitat, illi reſpondeat omnis Italia, quæ ſe patriam tanti Viri non dicit, ſed jactat: illi reſpondeat Gallia, quæ non minus virtutes ejus quàm ingenium & Doctrinam ſtupuit & admirata eſt: illi Britannia reſpondeat, quæ cum Germania de poſſeſſione (cum illa Fratrem Albericum ſuum feciſſet) pleniſſimè triumphavit: De aliis regnis & regionibus nihil attinet multa dicere. Sufficiat nobis Magnifici præpotentis Reipub. Norimbergenſis Senatus judicium, quo Conſiliarium ſuum & Anteceſſorem meritiſſimum ornavit, cum promiſcua ſepultura ſubtractum in hujus oppidi templo copulatum jam cum Manibus beatiſſimis Magni Donelli in cœlis, cum oſſibus quoque incomparabilis Viri conjungi voluit juſſitque.

Scilicet ut tumulo quoque viciniſſimus eſſet,
Cui magno fuerat proximus ingenio.

De Sannazaric.

Huic igitur quid nos Academicos facere æquius, quàm in hoc templo Academico etiam ei memoriam Virtutum & meritorum erigere? Nos enim dolor iſte propriè attingit, nos videlicet novimus,

mus, quem oculi quem animi noſtri deſiderent, nos intelligimus, quem Academia civem, Senatus ejusdem Senatorem, Facultas Iuridica Anteceſſorem. Iuventus noſtra Doctorem & Ductorem habuerit, quem amiſerit. Et quanquam DEI OPT. MAX. miſericordia & providentia ac cura paterna Inclyti Senatus Norimb. & Nobiliſſimorum DD. Scholarcharum, (quod merito in ſummis beneficiis numerare debemus) ita proſpectum eſt Academiæ, ut quæ tanti luminis orba in tenebris & ſquallore mœſta conſidebat, brevi poſt tempore & novis oculis donaretur, & vigorem ac virorem reciperet, jamque caput iterum cœlo tollere non vereatur, utque id diu ſalvis ſuis luminibus poſſit, comprecari nos deceat: Tamen animi memoris eſt & grati, ne dicam pudentis & honeſti, merita demortuorum deprædicare, & poſteritati reverenter atque officiosè commendare. In quo quanquam conſpirare vos animis & conſentire mecum indubiè animadverto: tamen illud fortè nondum ſatis capitis, aut probavi ego vobis, Auditores, quod hoc pietatis officium in me receperim ego, aut etiam occupaverim, quod hi, quos ſedentes videmus, Viri Ampliſſimi, Clariſſimi, Conſultiſſimi, Doctiſſimi ſuſcipere juſtius voluiſſent an debuiſſent, certè obire rectius potuiſſent. Quibus ego quid reponam, ſi me ipſum excutio, ut, quod ſentio, eloquar, profectò vix reperio. Affectum meum ſi hoc conſilii mihi ſuggeſſiſſe dicam, ut eſt inter alia, vereor ut incuſetis ſtultitiam meam qui aut me ſolum hominem eſſe exiſtimem, aut vos ignoraſſe Scipionem Gentilem perſuadere aliis poſtulem. Si amicitiam (quæ mihi cum eo vivente in his terris interceſſit interior & familiarior) hoc impoſuiſſe munus mihi diſputem, ambitioni me dare hoc putabitis fortean, & quaſi nec alios præter me habuerit amicos, nec cauſas etiam amandi juſtiores, dici vobis & explicari voletis. Dicam igitur neutrum iſtorum, ſed id quod non minus verum, magis honeſti ſpeciem habere arbitror. Ita de me meisque ſtudiis meritus eſt Gentilis noſter, ut unus ego ex omnibus hoc pietatis officium illi debeam, & non ſine gravi piaculo aut improbitate illi non exhibeam, Atque huic quid opponi poſſit à malevolis, nondum video. Nam & Romanorum hic me conſuetudo, à quibus nil niſi quod fas piumque eſſet, manaſſe & defluxiſſe ad alios populos novimus, excuſabit, quæ illis potiſſimum has partes imponebat, de quibus defuncti quàm præclariſſimè meriti eſſent, non iis qui dicendi facultate ſeſe ſuprà alios commendarent.

Patiemini igitur, Auditores omnium ordinum ſplendidiſſimi honoratiſſimique, pium me eſſe, licet non diſertum, quàm ingrati animi, quo nihil indignius eſt hominibus liberalibus optimisque artibus ad humanitatem & honeſti officia inſtitutis, notam & culpam ſubire, dubitisque adeò de vita & ſummis Gentilis noſtri beatiſſimi virtutibus breviter & ſuccinctè quædam commemoranti benignam audientiam, quod ut faciatis, omni à vobis animi contentione atque obſervantia ac ſtudio peto contendoque.

Cap. I. de Re Ruſt. *Ager in Favonium ſpectans ventum, & Soli oſtentus naturâ ſuapte melior & fœcundior*, inquit doctiſſimus Tagatorum Cato: quidni igitur ingenia quoque hominum cultiori loco aut regione nata ortave, robur ac vires trahant à natali ſolo? Simonides ſanè, referente Ammiano Marcellino, judicabat: *benè perfectâ ratione victuro ante alia patriam debere eſſe glorioſam.* lib. 14 Non defuit hoc ad gloriam ornamentum Gentili noſtro, ſive adjumentum dicere malis. In Italia enim Anno ſalutis per Chriſtum partæ 1563. primum ſpiritum hauſit, ejusque provincia nobiliſſima Piceno, quæ hodie Marchia Anconitana, ad radices Apennini montium famoſiſſimi. cIɔ Iɔ LXIII. De cujus Italiæ laudibus ſi agendum hîc ſit, commemorandæque illæ ex veterum ſcribtorum monumentis, dies me hic, & hi lumbi atque vox hæc deficiant. Omnium inſtar ſit judicium Magni Henrici IV. Galliarum & Navarræ Regis quondam glorioſiſſimi ſapientiſſimique. Is cum aliquando deliciaretur cum familiaribus ſuis, atque hi illum Europæ Monarcham meritiſſimo ſuo eſſe poſſe ambitioſè jactarent: *Eugepæ*, inquit, *ſi Monarcha is, quem vos facitis, eſſem, ex omnibus Europæ regnis unam mihi aulam adornarem; & Gallia quidem mea mihi penus eſſet, propter omnis annonæ vilitatem ſimul & bonitatem: Hiſpania & Anglia ærarium, propter auri præſtantiam & copiam: Germania cubiculum propter ſecuritatem: Italia hortus deliciarum & amœnitatis.* In hoc magni Regis de Italia judicio adquieſcamus nunc, & adquievit meritò in tam nobili patria etiam amœniſſimi & excoctiſſimi ingenii Gentilis noſter. Patria illi *Caſtellum San-Geneſii fuit*: *Pater Matthæus Gentilis*, Vir verè nobilis, ex antiquiſſima honoratiſſimaque Gentilium Ruſſorum (fuit enim & alia Nobilis Gentilium familia in Italia, quæ *Blanca* ſive *Alba* dicebatur) proſapiâ oriundus, profeſſione Medicus, *neque enim in Italia honeſta literarum aut facultatum profeſſio nobilitatem*

litatem deſtruit, ſed ornat, ut ait Imp. in Epiſtola ad Eumenium Rhetorem: judicio maturo coctoque homo, gravitate ſeverâ & priſci illius ævi, ſine ceruſſâ & ſimilagine hujus ſeculi. Huic cum Romanenſes iſti Hierophantæ partim ineptas, partim ridiculas ſuas ſuperſtitiones & theatricas nugas perſuadere nulla ratione poſſent, isque guſtum aliquem cœleſtis veritatis ſubinde tùm ex lectione divinorum oraculorum, tum ex colloquiis virorum piorum, quibus ea ipſa, quæ modò dixi, à gravitate Religionis Chriſtianæ recedere videbantur, perciperet, rebus diligentiùs expenſis, & veritate plenius hauſtâ inque animo ejus confirmatâ, de patria deſerenda, in qua ne profiteri quidem, quæ crederet, multò minus DEO ſervire, ut oportebat, tutò poſſet, ſeriò cogitare cepit; cumque filios haberet complures, & numero quidem ſeptem, è quibus primus *Albericus* ille fuit, quem non Britannia modò, ſed & tota Europa Præceptorem in jure ſuum colit & agnoſcit, noſter Scipio ſextus, de filiis ſecum abducendis, adeoque totâ familia transferenda cùm uxore lectiſſima fœmina ſecretò egit: Quæ cum ita animatum, & ex ea cauſa, maritum chariſſimum videret, ſubductis hinc inde rationibus varieque animo diſtracta tandem in hæc verba multis cum lachrymis maritum affata eſt:

Vellem equidem Domine, atque unicè optarem, ut, cum ego finem huic orationi meæ factura ſum, DEO OPT. MAX. in cujus oculis hîc conſiſto, in cujus etiam auribus hæc loquor, placeret quoque vitam mihi abrumpere, & ad regni ſui gaudia evocare, ſic enim expedita tibi forent omnia, nihilque voluntatem tuam remorari poſſet. Cupis tu excedere patriâ, mi Domine, ut conſcientia tua tibi conſtet illæſa, ut vita tuta, ut cultus DEI purus integer & non impeditus: piè facis, vis me, quæ tibi ad aras ſacramentum individui conſortii dixi, tecum ire: jus petis, vis ſequi te mecum communia converſationis noſtræ pignora, liberos dulciſſimos: amanter facis, qui cupis tuis juxta tecum benè eſſe, quà hîc qua illic cum beatis mentibus. Quid ad hæc ego: Ire te non tantùm permitto, ſed & jubeo, quia te amo, & periculum, quod manſuro impendet, intelligo, ut tecum eam, ignoſce confitenti, non poſſum, quia me amo: adſuevi patrio aëri, victui, religioni, eduxeris hinc, ad mortem duxeris. *Da hoc igitur amori meo, quo te proſequor, ut me*

quoque reſpiciam, & quæ vitam tuam & ſecuritatem ſuis voluptatibus & ſolitudini ſuturæ antepònit, ei hoc repone, ut ſuos inter conſtituta aut in patriâ relicta ac deſerta viduitatem mitius ferat: animis interim cohærebimus, & tu me derelictam non minus amabis, quàm ego te maritali reverentiâ colam, dum ero. De liberis meam admitte etiam, mi Domine, ſententiam, & Albericum tuum, quem, ut ætas maturum, ita Virtus & Doctrina jam ſpectabilem & Prætorem Aſcolitanum fecit, tibi habèto, reliquos & ævo & judicio infirmos deliciisque Italiæ innutritos è patriæ dulciſſimæ, è miſerrimæ matris amplexibus ne eripe, ſint hi, per Deum immortalem, afflictiſſimæ huic fœminæ - - ſolatia luctus

Exigua ingentis - -

in quibus tanquam viva tui imagine te contemplari, & miſerias meas lenire ac mitigare aliquatenus poſſim; Finiitque cum lachrymis illa ſermonem, quem neque ſiccis excepit maritus oculis, ſed fractis quibusdam per gemitus atque tertiatis verbis per omnia uxori ſuaviſſimæ conſenſit. Unus ei mentem altius inſedit Scipio, cujus indolem ad omnia excelſa jam in puero notabat exactiſſimus cenſor, & ſine eo vitam ſibi omnem acerbam fore prævidebat. Cum igitur Albericum volentem & eadem jam ſecum diu ſentientem facilè ad ſequendum ſe induxiſſet, convaſatis clàm rebus & collectis ſarcinulis, acerbiſſimo *Vale* uxori liberisque dicto ex Italiæ in Carniolam vicinam contendit: in itinere autem tuto quodam loco ſubſiſtens, Scipionem, quem amici paterni per ſpeciem ludendi, honeſto quodam plagio, è domo maternâ eduxerant, & anxio ſollicitoque ob eam rem patri ſubmiſerant, tandem lubentem lætus recepit, & cum duobus his filiis in eam, quam dixi, provinciam conceſſit. Sæpè mihi narravit hic, de quo agimus, Scipio, grave matrem hoc nuncio vulnus accepiſſe, & cum patre ſuo, ſuper hoc furto, dulci quadam amaritie per literas expoſtulaſſe, unde quâ virtute, qua animi firmitate fœmina fuerit, non difficile eſt colligere, ſic ut minus mirari liceat, ſi ex his parentibus editus, ad ea virtutum faſtigia Gentilis noſter contenderit, & eadem quoque contigerit, porrò hoſpes noſter Matthæus Gentilis cum comitibus ſuis ubi apud Carniolanos ſubſtitit, ea paſſim Virtutis & Doctrinæ ſuæ, & admirabilis cujusdam humanitatis, cum gravitate temperatæ, documenta dedit, ut illuſtriſſimi ejus Provinciæ Proceres, non modò hoſpitari ibi exſulem ſpontaneum permitterent, ſed & conſilia inirent, quomodo tantum Virum

reti-

retinere ſecum & pro dignitate habere poſſent. Conſtituerunt igitur illum Archiatron, propoſitis iis conditionibus, & eâ erga ipſum munificentiâ uſi, quam ipſe nec aſpernari vellet, nec repudiare ullâ ratione poſſet. Cum igitur ſedem ibi ipſe fixiſſet: Albericum in Britanniam miſit, eumque amicis ibi quibusdam ſuis commendavit, per quos ei abundè proſpectum, Scipionem autem noſtrum Tubingam ablegavit: in qua Academia eos in humanioribus literis & jure progreſſus fecit, qui jam, quantus ſuo tempore futurus eſſet, clarè teſtarentur. Et quia delectabatur amœniſſimum ingenium Poëſeos ſtudiis, Poëtas ejus loci & ſtudiosè audiebat, & eorum converſatione libenter utebatur, inque eo ſtudiorum genere ita profecit, ut omnium tamdem Europæ Poëtarum non dicam ingenia, ſed ſpes etiam & vota longè ſuperaret: quod me ex vero dicere, conſenſus omnium vatum cultiorum comprobabit, & magni illius *Meliſſi* teſtimonium, qui faſces illi ultrò ſuos ſubmiſit, & ſuperiorem lubenter prolixeque teſtatus: habuit & hunc impetum à Patre, de quo mihi narrabat ſæpè hanc hiſtoriam: *Sedebamus*, inquit, *Pater, Albericus & ego tempore brumali ad caminum poſt ſumtum cibum otioſi, ibi pater ad nos; ne prorſus nihil agatis filii, carbonem uterque hinc è camino eripite: ſententiam ego vobis quandam oratione ſolutâ dabo, quam vos ligatâ mihi in hujus camini albo reponite. Paruimus uterque, ſed ecce frater meus penè totam camini faciem denigrarat multitudine verſuum, cum ego vix tribus reddidiſſem. Ibi pater lectis utriusque verſibus in hac verba nos compellavit: Volo fidem veſtram, filii, in verba mea, quæ dicturus ſum, obſtringatis, velle vos ea omni deinceps vitâ rata habere ſancteque obſervare & exſequi; cumque reverenter annuiſſemus: Volo*, inquit, *jubeoque te Alberice, deinceps abſtinere à verſibus ſcribendis, te verò Scipio pergere: ita fiat.* Hæc ille mihi ſæpè cum riſu. Sed vel hinc de patris ingenio judicium capi poteſt. Ibidem & Græcis literis Doctore *Martino Cruſio* viro optimo & eruditiſſimo ſtudiosè ſe dedit, quem & deinceps ut Præceptorem veneratus eſt, & honeſtiſſimè omni vitæ tempore de ipſo locutus: quòd tantò lubentius in laudem Gentilis noſtri recito, quantò plures hodiè reperire eſt ſciolos & fermentatos adoleſcentes, qui præceptores in pueritiâ vel adoleſcentiâ ſuos non modò ignorant, quod turpe tamen eſt, ſed faſtidiosè ac ſuperciliosè deſpiciunt, & neſcio quibus probroſis appellationibus deformant, quod impium eſt &

Vita Academica.

immane. Alius hic noſter Gentilis, qui non modò Adoleſcens Præceptores ſuos venerabatur, ſed & toto vitæ ſuæ curriculo memoriam eorum ſanctè & reverenter conſervabat? Nihil etiam gravius ferebat in adoleſcente, quàm Præceptorum contemtum. Memini ſermonis cujusdam ejus, quem in publico Senatu noſtro habuit ante hos annos XII. Accuſabat coram Senatu diſcipulum ſuum præceptor privatus, à parentibus illi cuſtos additus, quòd ab eo pulſatus eſſet, quia officii eum commonuiſſet: Eo facto narrato & auditâ impii diſcipuli confeſſione cohorruit toto pectore optimus Vir, & cum illum objurgatum atque pœnâ inflictâ Senatus dimittere jam vellet, his prius verbis compellavit: *Tu verò, miſerrime, ob hoc factum, adoleſcens, Deum ſeriò ora, uti in hac pœnâ noſtra ipſe adquieſcat etiam, neque gravius aliquod ob hoc facinus ſupplicium à te repoſcat.* Ne enim neſcias, accipi ego à ſummis Viris, virum Illuſtriſſimum quendam Præſidem Galliæ ſummum, cum eſſet præfectus capitalibus cauſis, hoc in more habuiſſe, ut, cum aliquis capitis damnatus eſſet, ad extremum interrogaret damnatum: nunquamne in vita parentes aut præceptores pulſaſſet, aut probroſis dictis inceſtaſſet, addebantque illi confirmaſſe ſibi Præſidem intra illos ſedecim annos, quibus ille capitalibus cauſis præſediſſet, vix quatuor damnatos immunes ab alterutro fuiſſe. Hæc tum illæ graviter & verè. Verùm è diverticulo in viam. Cum Tubingæ ſatis diu manſiſſe ſe putaret, animum adjecit ad Wittebergenſem Academiam, eoque Patre non repugnante conceſſit: Vixit ibi inter illuſtres & nobiliſſimos juvenes expari, tùm generis prærogativâ dilectus, tum variæ eruditionis apparatu: In eo conſortio fuit Illuſtris & Generoſus D.D. *Ludovicus à Seyn, Comes* Witgenſtenius *Dn. Homburgi*: qui veterem hunc conſalaneum ſuum Anno Sal. 1608. Sereniſſi- ↄIↄ Iↄ CIIX.
mi Electoris Palatini Legatus, in comitiis Ratisbonenſibus, & me comitem clementer admodum & benignè accepit, veteriſque illius converſationis & pluribus & jucundiſſimè recordatus eſt. Ibi cum ille in juris Civilis ſtudiis jam confirmatus eſſet, incidêre ea in Styria & Carinthia tempora, quæ jubebant, aut Romanis placitis ſtare, aut migrare: quorum hoc potius viſum Matthæo Gentili Patri noſtri Scipionis, itaque ad filium Albericum in Britanniam conceſſit, utque alterum filiorum propiorem haberet, in Belgium ejusque novam quidem tùm ſed florentiſſimam Aca-

Academiam, Lugdunum Batavorum adire juſſit. Dabant illi ſplendorem duo inſignia literarum lumina *Hugo Donellus* JC. & *Iuſtus*, *Lipſius*, quorum utrumque & audivit docentem, & familiariter quoque novit, atque hic quidem in literis non niſi *veterem amicùm* appellavit, ille verò, cum DEO ita ducente hîc rurſus conjungerentur, usque ad extremum ſpiritum omni adfectu cum hoc noſtro certavit, & Reipub. huic, tanquam ſi filius ſuus & ex ſe natus eſſet, commendavit. Tandem cum animadverteret vitæ Academicæ illius & ut ita dicam vagabundæ tædium ſibi obrepere, cupereque Patrem ævo jam & curis partim, partim morbis fractum videre, & ſe alterum filium honeſto loco conſiſtere, & doctrinæ ſuæ fructus in plureis ſpargere, Baſileam conceſſit, ut honores in jure ſummos inde referret, quos omnium ſtudia & affectus jam diu illi meritiſſimo ſuo tribuebant. Incidit ibi in ægrum & morti vicinum jam *Franciſcum Hotomannum*, quem cum propter nominis celebritatem & officii causâ inviſeret, & inſalutatione illa *Excellentia* titulum tribueret, ille in hæc verba reſpondit: Quid tu verò, mi Scipio Gentilis, *Excellentiam meam dicis? meum naufragium dic, meam miſeriam, meam internecionem, morior nunc ego & omnia mea mecum, qua imprudentia vivo eripuit*, (τῆς χρυσοποιΐας ſive Alchymiæ ſe ſpei crediderat infelix, & ſic bonis elaverat) tu verò creſce, florentiſſime juvenis; nam aut me omnia fallunt, aut tu non meam ſolùm, ſed & aliorum ſummorum Juriſconſultorum famam ſi non obſcurabis, æquabis certè, ita nunc ſe profert ingenium tuum. Hoc magni viri judicium, quia pudore ingenuo prohibitus ipſe paucis aperuit, in mortui memoriâ celebrandâ celari à me, cui aliquando, tanquam aliud agens, crediderat, minimè debere exiſtimavi. Floruit ibidem quoque notitiâ atque amicitia Illuſtrium ac Nobiliſſimorum hominum, è quibus Illuſtres & Generoſos D. D. Erneſtum, & Guntherum Comites à Naſſau: Erneſtum, Wilhelmum Ottonem Reinhardum & Philippum Comites Solmenſes, Carolum item Comitem Ortenburgicum (qui omnes & ſpectatores & teſtes fuere Docturæ ipſi, Decano Baſilio Amerbachio, Promotore Samuele Grynæo, Rectore Felice Platero, publicè collatæ Anno die 17. Kalendis Maji Anni Salutis 1589.) nominare lubet, *Laurea Doctoralis.* *clↄ Iↄ XIC.*

Voti ibidem ſui compos abundè redditus Heidelbergam conceſſit, ubi jus docebat Julius Pacius à Beriga Vicetinus popularis Gentilis noſtri, cum quo, ut ſolet inter magna ingenia, æmulatione de ſtudiis exorta, non ita rectè illi conveniebat; quando verò animadvertebat factionibus etiam ſe peti & oppugnari, addictam enim ſibi Pacius juventutem habebat, relictâ Heidelbergâ Altorfium pervenit, huic enim Academiæ Virtus illa & ingenium debebatur, uti ne catena illa *Freigiorum*, *Giphaniorum*, *Donellorum*, *Weſenbeciorum*, numinum & luminum Jurisprudentiæ intercideretur ſuo tempore, ſed per ipſum & qui mox ei acceſſit incomparabilem C. Rittershuſium, cujus item anima in benedictione, eosque, qui nunc Cathedram illam premunt, continuaretur ac produceretur. Huc veniens adduxit ſecum Illuſtriſſimum adoleſcentem D. *Carolum* antiquioris proſapiæ *Comitem in Ortenburg*, quem illi inclytus propinquus D. *Ioachimus*, ſummi animi ſummarumque Virtutum Heros, adjunxerat morum vitæque rectorem, nam ſtudiorum ipſi formator *Nicolaus Regenſtorfius Bremanus* magni ingenii doctrinæque juvenis jam conſtitutus erat, Repetiit hic veterem illam cum Donello contractam in Belgio amicitiam atque familiaritatem, multum gaudente ſummo & conſtantiſſimo in amore illo Viro, qui, ut ſuprà jam attigi, nec adquieſcendum ſibi putavit prius, quàm illum Collegam ſibi additum videret: nec res multi magnique laboris indiguit apud inclytum Reip. noſtræ præpotentis Senatum, qui cum ultro Academiam ſuam omnibus ornamentis celebrem & inſignem eſſe vellet atque optaret, graviſſimus autem ingeniorum atque animorum juxta cenſor eſſet, facilè cujus dotes jam agnoſcebat, in ejus promotionem conſenſit; Itaque Inſtitutionibus interpretandis initio datus, mox exſerente ſe admirabili & ſtupendâ ingenii felicitate Pandectarum Profeſſor conſtitutus, V. A. tandem *Petro Weſenbecio* precibus Ducum Saxoniæ, quibus contradici non poterat, nobis erepto, ſine ulla ambage Codicis Anteceſſorque primarius ab Ampliſſimo Senatu deſtinatus, inque Conſiliariorum Reipub. numerum honoratiſſimum cooptatus eſt, in quibus provinciis obeundis, ſtrenueque & gnaviter exornandis, ipſos XXVI. annos, & quod excedit, peregit. Quo toto tempore ea fide & induſtria omnes partes Juris perſecutus eſt, ut laudem brevitatis & perſpicuitatis, quæ rariſſima & pauciſſimis contingere ſolet, ſimul omnium rectè ſentien-

Fit Anteceſſor Acad. Alt.

ſentientium calculo conſecutus ſit & reportarit; adeò de obſcuris perſpicuè, de perplexis ordinatim, de dubiis accuratè diſſerebat, neque diſſerebat modò ſed & ſcribebat. Loquantur pro me libri ab ipſo in publicum dati, inprimis nobiles illi & famoſi *de Iuriſdictione*, qui nec à ſummis quidem JC.tis ſatis commendari poſſunt. Loquantur libri *de Donatione inter Virum & Vxorem*, *de Conjurationibus*, & *Orationes Imperatorum variorum*. Ex quibus omnibus apparebit, illum artem illam juris, ob quam Servium Sulpitium Cicero tantoperè commendavit, plenè perfecteque tenuiſſe & poſſediſſe, & difficilimas intricati juris quæſtiones tanquam tabulas pictas in bono lumine collocare potuiſſe. *Scripta edita.* Commendabat ſummam illam Juris peritiam exactiſſimamque docendi methodum etiam id, quod in docendo cum ſermonibus illis JC.torum *Trebatiis*, *Labeonibus*, *Modeſtinis*, *Papinianis*, *Vlpianis*, ſemper conjungeret etiam eloquentiæ proceres & Naturæ Conſultos, ac ſententiis veterum Philoſophorum, Medicorum, Poëtarum, Oratorum, Legum interpretationem tanquam gemmulis quibusdam diſtingueret, nullaque penè hora laberetur, quâ non *Ariſtotelis*, *Platonis*, *Solonis*, *Chryſippi*, *Homeri*, *Demoſthenis*, *Ciceronis*, aliorum frequens & crebra mentio: quorum ſcripta ignorare & ſuperbè contemnere, contrà Barbarorum quorundam Doctorum tricis & lacunis immori, hodiè ſecundum quosdam, ſuperioris ævi barbariem καὶ ἀγροικίαν revehere contendentes, ſtudioſi juris virtus eſt, & magnæ ſpei documentum. Alius animus Gentili noſtro & rectior, qui, quantum ornamenti, quantum lucis politiora illa ſtudia Jurisprudentiæ fænerarentur, probè noverat, & libris *Parergorum*, *Expoſitione Apologiæ Apuleianæ*, aliisque ſcriptis amœnioribus publico oſtenderat. Quibus ille rebus omnibus conſecutus eſt, ut per omnem Europam celebritate nominis floreret, & à ſummis ejusdem Principibus ad docendum jus evocaretur, ſplendidiſſimis conditionibus, quas ne alii quidem animo concipere poſſent, multò minus exſpectare aut appetere, ultrò oblatis & propoſitis: E quibus vocationibus duas ſaltem hîc attingere lubet, (Gallicanâ Heidelbergenſique omiſſis) *Clementis Octavi Pontificis Romani*, qui Bononiam religionis libertate propoſitâ venire juſſit, & Illuſtriſſimorum Hollandiæ Ordinum, qui & ſuis eum & MAVRITII *Auraici*, Martis Germanici, & Curatorum Academiæ Lugdunenſis tergeminis literis ab Ampliſſimo & Magnifico *Vocationes variæ.*

Senatu noſtro indulgeri ſibi perhumaniter & obnixè petierunt, & eas ipſi conditiones propoſuerunt, quæ vix fidem, ſi referantur, inveniant. Verùm illi certùm, hic vivere & mori in complexu hujus Reipub. quam ille ut matrem indulgentiſſimam nec poterat deprædicare ſatis, nec ſatis venerari, quod & extremo penè ſpiritu ad D. Socerum teſtatus eſt, in ſinu etiam hujus Academiæ, quam ut virtute ſua auctiorem & celebriorem fecerat, ita meritis ſuis ſibi obſtrictiſſimam devinctiſſimamque habebat: in quo quidem generoſo ipſius animo parique animi voto publicæ vitæ laudumque ejus commemorationem ſiſto, pauciſſima additurus de vita ejus privata, & per eam ad beatiſſimum ex hac vita calamitoſa exitum illius tranſiturus. Vivendi igitur ratio in Gentili noſto ex optimi parentis inſtitutione proba, nuda & ſine fuco. Adoleſcentia liberalis, ingenua, aperta, non ficta ad hypocriticam gravitatem, non infracta aut mollis ad luxuriam aut libidinem, ſed læta, amœna, aliquando etiam in delicias & hilaritatem ſoluta. Hæc illi vita Pædagoga in ſenectute fuit, cum ſederet judex petulantiæ & ferociæ Academicæ juventutis: non enim mox Caſſià ſeveritate utebarur, aut minio Draconis Edicta ſcribebat, carceres, relegationes, uncos eculeos intonabat, ut moroſi quidam ſenes ſolent, in quos illud Pauſaniæ quadrat: ἕπεται πῶς τῷ γήρᾳ ὡς τὸ πολὺ ἐναντιοῦσθαι νέοις. Sed meminerat ex Seneca, *donanda quadam eſſe ætati & ingeniis iſtis ad Virtutem erectis*; didicerat ex Gregorio: *in peius prorMere ſolere, qui à licitis prohibeantur*, agnoſcebat mediocrem indulgentiam ſummam eſſe juventutis cuſtodiam. Donanda autem cenſebat, ut idem ſapiens loquitur, non portenta, ſed errata, itaque ſi quis occurrebat, qui pudore devorato DEO, virtuti & diſciplinæ repudium miſiſſet, honeſtati bellum indixiſſet, ibi ille ſine ullo cujusquam prærogativæ reſpectu offenſionum minimè pavidus, & dicere quod ſentiebat acriter, & punire graviter ſe & auctoritate ſua dignum exiſtimabat. Extrà hanc provinciam, quam officii ratio ei imponebat, valdè etiam jam ſenior delectabatur conſuetudine ſtudioſorum juvenum, cum quibus & in campos animi cauſâ exſpaciabatur, & ad ſe domum invitabat, moremque aliarum Academiarum animitus deteſtabatur, quo Profeſſores quidam, quorum ſi Diis placet, *Infantia cœlum*.

Hauſit Aventini, baccis nutrita Sabinis.

In Achaicis. *Lib.* 10. *Controv.* 1. *Lib. Ep.* 42. *Iuvenal. ſat.* 3.

aucto:

auctoritatem ſuam imminui convellique cenſent, ſi verbum ſtudioſo faciant, aut alloquio dignum judicent, ſi non per interpretem omnia agant, aut etiam per codicillos: apage iſtud ſupercilium, non ita viri magni, qui indicium doctrinæ ſuæ ubique humanitatem, ubique comitatem, ubique facilitatem præferunt, oſtendunt, exercent, haud aliter quàm Solem facere videmus, qui cum plurimum poſſit, non minus tamen omnia ſupera infera ſplendore ſuo colluſtrat, radiis calefacit, & fovet. Ergà Deum quâ pietate fuerit, qua conſtantia in religione, jam adoleſcens ſpontaneo exſilio indicium dederat, quod omni vita continuavit, & ipſa ſacra & ſacrorum interpretes priſcos ſtudioſè legit, à recentioribus vel ideò abſtinuit, quod impreſſa nimis manifeſtè affectuum vehementium veſtigia videret, nec in tam ſerio negotio ferre poſſet: Illos verò Deum & rerum divinarum contemtores veroſque Mezentios Virgilianos, qui de Deo aliquid noſſe infra ſuam conditionem & nominis ſui dignitatem eſſe credebant, quales proh dolor hodie multi in aulis Principum, toto pectore abominabatur, & ſenſuros tandem, quem ludibrio habuiſſent, ſeriò conteſtabatur. Atque ita ergà Deum & ſacra animatus erat, cui recitationi meæ fidem faciunt Pſalmi penè omnes ab illo carmine redditi, quibus ille omnium aliorum in eo genere conatus, ſpes & vota longè ſuperavit. In Collegas verò, quamdiu vixit, humanum fuiſſe, in cives facilem & benignum, in advenas hoſpitalem, in diſcipulos fidelem, in pauperes largum & munificum, id verò nemo ignorare hic potuit, niſi qui ipſum ignoraret: domi modicus erat, non ſumptuoſus, elegans non magnificus, ſumma: in omni converſatione commodus, ſic lenis ut non deſineret eſſe gravis, ſic gravis ne abiret in moroſum. Atque ſic quidem vitam inſtituendo cœlebs manſit usque ad annum Sal. cIↄ Iↄ CXII. non mutaturus etiam ſtatum, niſi captivaſſet illum & formæ & morum & virtutum ornamentis omnibus ſuprà ſexus etiam ſui conditionem conſpicua lectiſſimaque virgo, *Magdalena*, Nobiliſſimi & Clariſſimi per omnem Europam Viri *Cæſaris Calandrini*, Patriciâ perveuſtæ celeberrimæque Lucenſis in Italiâ Reipub. familiâ oriundi, filia: illius enim dotibus, paterniſque virtutibus & conſtanti multorum annorum amicitiâ delinitus uxorem ſibi illam petiit, nec difficulter impetravit, cum quâ, quicquid illi ævi reliquum fuit, ſine quere-

Conjugium.

quærelâ ex veteri formulâ beatiſſimè transegit, auctus utriusque ſexus prole, filio *Ægidio Alberico*, & filia *Eſthera Magdalena*, in quibus chariſſimæque Conjugis benevolentiâ & fide ita ſe oblectavit, uti nihil ſibi ad ſummam & invidendam tranquillitatem deeſſe gratus agnoſceret, Deumque proinde meritis præconiis ob eam rem collaudaret & veneraretur. Sed ô lubrica hujus ævi gaudia! ô ſomnia aut umbram potius ſomniorum! Dum ille ſe beatiſſimè vivere ſibi videtur, mors illum ſuperiori anno per ante ambulones ſuos aggreditur, vehementer nimirum & crebrò repetitas fluxiones, tandem menſe Julio per pertinaciſſimam dyſenteriam, quam licet diligentiſſima Medicorum doctiſſimorum cura & ſtudium expugnaſſet tandem, tamen ita vires & corpus amiſerat, ut recuperandis illis non ſufficeret: unde facilè prævidebat animo, quid de ſe futurum eſſet, idque alieno monitus exemplo, quod ad gratulantes ipſi de ſuperato tam periculoſo morbo edixit: *Relatum eſt mihi*, inquit, olim de *Iulio Cæſare Scaligero*, *eum quoque graviſſimo morbo ſuperato, cum certatim illi amici gratularentur, cum gemitu illis reſpondiſſe*: *Morbum*, inquit, *DEI beneficio ſuperavimus, ſed unde vires recipiemus, quas pertinacia morbi dejecit & proſtravit?* Idem & ego uſurpare poſſum, & fortaſſe non magis fallar, quàm falſus eſt Scaliger, qui recolligere ſe ultra non potuit, ſed fatis & naturæ ex eâ infirmitate conceſſit. Utinam verò, mi Gentilis, in hoc augurio deceptus eſſes, ſed Deo aliter viſum, cujus voluntatem cum intelligeret, de ſe capto indicio, quanquam difficile illi erat ab uxore ſui ſtudioſiſſimâ dulciſſimisque liberis avelli, quod nec diſſimulavit: tamen ad patientiam & parendum vocanti Deo ſe totum compoſuit, utque in pace ſe dimittere, ardenter eundem obteſtatus eſt. Vix poſſum ſine lachrymis recordari, cum illi pridie illius diei, quo vitam clauſit, lecto adſiſterem, isque cum acutiſſimis doloribus conflictaretur, ſine tamen ullo motu vehementi aut indicio, in me reſpiciens: Ah inquit mi Piccarte, wie bitter/ ad quæ verba ego: *Et aqua illa, quam in deſerto Iudæi bibebant, amara erat*, Sed quid ibi Moyſes? lignum injecit ſalutare, & omnem amaritiem edulcavit: *Sic tu ligno crucis Salvatoris noſtri Chriſti*, Mi D. Doctor, *edulca etiam hanc amaritiem, quæ brevi tibi vertat in æternam dulcedinem.* Ibi ille: rectè mones. Chriſtus Jeſus eſt ſpes & reſurrectio mea, cujus ſanctiſſimum nomen ſubinde ut vere auxiliare & ſalutiferum ſedulò arden-

Proles.

Digitized by Google

denterque imploravit, qui tandem 7. Id Aug. intra tertiam & quartam pomeridianam vota gemitusque ejus exaudivit, & inter preces chariſſimæ conjugis, (quæ ſtupendâ animi firmitate & nunquam ſilendo pectoris robore, adſedit valetudini chariſſimi mariti ſemper, deficientemque fovit, & inter manus ſuas morientem Deo commendavit) aliorumque adſtantium, cum capite annuiſſet interrogantibus, an cuperet diſſolvi, & cum Chriſto ſuo eſſe, placidiſſimè vivis exemtum ad ſe in ſedes beatorum ſuſcepit. Atque hæc vitæ Cataſtrophe fuit Scipioni Gentili noſtro, proh dolor non amplius noſtro, præclarè toti vitæ fabulæ peractæ reſpondens: luctuoſiſſima tamen matronæ lectiſſimæ derelictæ ab ipſo viduæ, quæ miſera nunc prorſus doloribus ac debilitata mœſtitiâ jacet: luctuoſiſſima item huic Academiæ noſtræ, cui ille Pater & Patronus: luctuoſiſſima denique toti rei literariæ, & imprimis Juriſprudentiæ. Tibi verò, *Scipio Gentilis*, ô auguſte anime, cœlo nunc recepte, exoptatus ille fuit tranſitus, æternæque vitæ & lucis natalis: Compleveras Tu curſum tuum vitæ & gloriæ præclarè & laudabiliter, neque dabatur ex ſummo humanæ felicitatis cacumine via, niſi in hoc mortis præcipitium: Tu cum magnis ſemper honoribus perfunctus eſſes, ita tamen rem inſtituiſti tuam, ut majoribus ſemper homines dignum te judicarent: Tu invidiam laceſſere te auſam & fortiter contemſiſti, & virtute atque conſcientiâ generosè fregiſti: Tu odia & impetus multorum irrationabiles & tantò acriores quantò iniquiores invicto animi robore pertuliſti, patientiâ mitigaſti, comitate & virtute exſtinxiſti: Tu denique, quod in parte felicitatis aliquâ priſci ſapientes poſuerunt, in ipſo ſenectutis limine impendentia ſequioris ætatis incommoda & temporum hanc ingruentem noctem beatiſſimo exitu antevertiſti. O te igitur ter quaterque & μυριάκις etiam beatiſſimum, ô nos contrà miſerrimos, quos in quæ tempora Deus reſervarit, non eſt difficile colligere. Quod ſupereſt, ſi quis eſt tibi poſt mortem relictus humanarum rerum ſenſus, gratam hanc habe tui memoriam, gratam hanc meritorum laudumque commemorationem, certusque eſto, quicquid in te amavimus, quicquid mirati ſumus, manere manſurumque eſſe in animis bonorum omnium & doctorum, in æternitate temporum, famâ rerum; jamque adeò ô Beate Gentilis

Æternum vale atque ſalve.

Cl. Is. CXVI. Obitus

Nos

Nos de ordine, quem Deus præſcribſerit cuncti ſequemur.

Tu verò, æternæ & triuune Deus, qui hoc vulnus nobis impoſuiſti, quia merebamur, qui idem ſubſtitutis Clariſſimis Juriſconſultis perſanaſti, quia miſerabaris, miſerere porrò quoque, & placidus ac propitius huic Academiæ deinceps eſto, arce à nobis, quæſumus, deinceps calamitates hujusmodi & inſignium hujus loci Doctorum funera: Serva & protege Magnum & inclytum Reipubl. noſtræ Senatum, hujusque Academiæ Curatores & Patres benigniſſimos, quosque per omnem Europam omnibus Virtutum Civilium ornamentis inclytos eſſe voluiſti, illis mollia quoque largire tempora, altam pacem, tranquillitatem inoffenſam, & omni bonorum genere, cumulatiſſimè, proſequere, ut in hac amœniſſimâ Norici Provincia tibi deinceps quoque, grata dicantur, & fiant, in hoc autem liberalium artium atque facultatum ſeminario utilia Reipub. Chriſtianæ & ornamento futura doceantur & diſcantur. Id fac, ô Deus per & propter Filium tuum unigenitum, qui cum S. S. tecum in æternitatem omnem vivit & regnat Deus unus & trinus Benedictus in ſecula.

DIXI.

EPITAPHIUM.

EIDEM SCIPIONI GENTILI JC.

Altorffi in templo æri inciſum cum imagine Jacobi luctantis cum Angelo additis verbis:

Non dimitto te Domine, niſi prius benedixeris mihi.

D. O. M. S.

SCIPIONI GENTILI JC.to MATTHÆI MEDICI FILIO, ALBERICI JC.ti FRATRI, CLARA NOBILIQVE FAMILIA IN MARCHIA ANCONITANA NATO: PATREM ET FRATREM, SOLA PIETATE IMPELLENTE, EX ITALIA PATRIA IN GERMANIAM SECUTO, INQVE EA PROSPER SUMMAM VIRTUTEM ADMIRABILEMQVE DOCTRINAM, INPRIMIS AUTEM JURIS EXACTAM PERITIAM AD EAM NOMINIS FAMÆQVE DIGNITATEM EVECTO, UT CUM SUMMIS GERMANIÆ

NIÆ JC.tis COMPONERETUR: OB EAMQVE REM AB INCLUTO SENATU NORIMB. ACADEMIÆ SUÆ LAUDATISSIMÆ JC.tis CLL. PIE DENATIS SUFFECTO, ATQVE UNA IN NUMERUM CONSILIARIORUM COOPTATO, INQVE ISTIS MUNERIBUS SUMMA FIDE, LAUDE, DIGNITATE, VERSATO, TANDEM, CUM ET CONSILIIS REMP. ET DOCTRINA JUVENTUTEM PLURIMUM JUVISSET, EDITISQVE PRÆCLARISSIMIS DIVINI INGENII MONUMENTIS UNIVERSAM REM LITTERARIAM EGREGIE DEMERUISSET: DEO OPT. MAX. ITA VOLENTE, VIVIS CUM DAMNO ET LUCTU PUBLICO EXEMTO, ET HOC IN LOCO, JUXTA OSSA MAGNI ILLIUS, ET PER OMNEM ORBEM CELEBERRIMI, HUG. DONELLI, CUI VIVO VIVUS OMNI ADFECTU CONJUNCTISSIMUS, INGENIO ETIAM PROXIMUS FUERAT, IN CHRISTO JESU REQVIESCENTI MONIM. POSUIT CUM LACRUMIS.

MAGDALENA GENTILIS DOMO CALANDRINA CÆS. CALANDRINI PATR. LUCENSIS F. MARITO CARISS. HONORATISS. ÆGIDIUS ITEM ALBERICUS F. UNICUS, ET ESTHERA MAGDALENA F. UNICA PATRI OPT. NEC NON DESIDERATISS. ⊙ VII. EIDUS SEXTIL. cIↃ IↃ CXVI. ÆTAT. LIII.

S. T. T. L.

SCRIPTA.

Nereus ſive de natali Eliſabethæ, Illuſtriſſ. Philippi Sydnæi filiæ: *Londini* 1586. in 4.

Liber de jure Publico Populi Romani: *Norib.* 1598. & *Altorph.* 1662. in 8.

Libri duo de Conjurationibus: *Francof.* 1600. 1602. in 8.

Liber de Alimentis cujuscunque generis: *ibid.* 1600. in 8.

Laudatio funebris in obitum ſummi Viri, Dn. Hieronymi Paumgartneri, Reip. Norib. Duum. Viri: *Norib.* 1603. in 4.

De Donationibus inter virum & uxorem libri IV. *Hannovia* 1604. in 4.

Libri tres de jurisdictione: *Francof.* 1600. 1613. in 8.

De bonis maternis & ſecundis Nuptiis libri duo: *Hanov.* 1606. in 8.

In

In L. Apuleji Apologiam, quâ ſe ipſe defendit, publico de Magia judicio, commentarius: *ibid.* 1607. in 8.

De jure Belli: *ibid.* in 8.

De ſolennitatibus, quatenus in quoque actu intervenire debeant, vel interveniſſe præſumantur: Ejusdem oratio de unione: *Norib.* 1617. in 4.

De concurrentibus Actionibus liber ſingularis poſthumus: *Amberga* 1617. in 8.

Libri II. Parergorum ad Pandectas: *Altorph.* 1664. in 8.

Henrici IV. Regis Francorum Elogia, quibus acceſſerunt in ejus indigniſſimam cædem carmina: *Argent.* 1611. in 4.

Commentarius in D. Apoſtoli Pauli ad Philemonem Epiſtolam: *Norib.* 1619 in 4.

De Legationibus: *ibid.* in 8

De Erroribus Teſtamentorum à Teſtatoribus ipſis commiſſis & de ſcientia hæredum. *Argent.* 1669. in 8.

Diſputationes publicas frequenter admodum habuit, è quibus ſunt de Venatione: De Actionibus in factum: De Regalibus &c. Oratio funebris in obitum Hugonis Donelli. *Altorph.* 1591. in 4.

ORATIO PARENTALIS

In exceſſum

Viri Magnifici & Conſultiſſimi,

DN. GOTHOFREDI ANTONII,

JCTI Eminentiſſimi, Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Principis ac Domini LUDOVICI, Haſſiæ Landgravii, Conſiliarii, in Academia Gieſſena Cancellarii & LL. Profeſſoris Primarii, An. 1618. Publicè habita,

à

THEODORO REINKINGK, J. U. D. Profeſſ. & Conſiliario Darmſtattino.

Ami-

Digitized by Google

AMiſimus Virum præcedentibus diebus, Magnifice Dn. Rector &c. Vosque ſtudioſi veræ Nobilitatis Germanæque Virtutis promi condi lectiſſimi. Amiſimus inquam virum, qui ſi humanæ ſortis conditio pateretur, in omne ævum vivere dignus fuerat. Fuit is GOTHOFREDUS ANTONII, juris noſtri ſacerdos eminentiſſimus: Academiæ Cancellarius graviſſimus: Profeſſor Primarius: Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Principis ac Domini noſtri Clementiſſimi Conſiliarius prudentiſſimus & intimus. Fuit inquam is, imò præfuit & profuit Rei literariæ, Academiæ noſtræ & Patriæ Haſſiacæ, atq; utinam eſſe præeſſe & prodeſſe diutius potuiſſet. Verùm hic eſt humanæ fragilitatis ſtylus: Hæc fatorum inevitabilis lex: Hoc univerſale S. Trinitatis ſtatutum: *Morte morieris*. Dura hæc eſt lex, ſed tamen juſtè dicta, quam Satanæ aſtus & primorum parentum lapſus divinæ quodammodo extorſit clementiæ. Huic omnia obnoxia ſunt: hæc omnes æquabili fronte adſpicit, maximos, medios, minimos. Nihil hic Cæſarum ſceptra, Regum Diademata, Potentum arma, Principum regalia, Fortunatorum divitiæ: nihil ſcientiarum theſauri, virtutis encomia, ætatis privilegia: Omnia quæ nata ſunt humano ſemine, huic legi ſubjecta ſunt, nec quicquam immortale eſt, præter vim mentis & opera ingenii. Hujus quoque legis rigor & inflexibilitas, noſtrum heu dolor jugulavit GOTHOFREDUM ANTONII, non ſine veſtro & bonorum omnium deſiderio. Ut cum Poëta non immeritò conqueri fas ſit:

Illicet in lachrymas, heu illicet, illicet illa
Mortis inorata præcipitata dies.

Ego verò quò me vertam? quæ verba faciam? anne juſtiſſimo dolori habenas laxem? anne dolore opprimi me patiar? minimè gentium: ne ſi immoderato affectui ceſſero, erga virum meritiſſimum, cui alia nulla referri poteſt gratia, & tamen permagna & multa debetur, ingratus ſim. Quamobrem me ipſum redarguam, & animum qui ſubinde recurrit ad funus & gemitus, ad panegyricum reducam, ut non tam lamentationi, quam honeſtæ vitæ & laudum enarrationi, deſerviat. Vereor tamen & maximopere vereor, ne Ampliſſimi & Clariſſimi Viri, qui nomen GOTHOFREDI ANTONII. non tam ut eruditi viri, quàm ipſius eruditionis uſurpare ſoliti ſunt, meram temeritatem & audaciam in me accuſent. Ideoque onus Æthna gravius humeris meis mihi impoſuiſſe videor, in tam ſpectabili omnium ordinum Virorum & juvenum conceſſu. Neq; hoc unquam ſubire auſus

fuiſſem, niſi & mea me adverſus GOTHOFREDUM ANTONII ſuſcepta jam pridem obſervantia, & illius plurima in me & univerſam Academiam noſtram collata beneficia, ut id facerem, adduxiſſent. Illud quidem me recreat ac reficit, quod ejus Virtus, eruditio, fama & nominis exiſtimatio, tam illuſtris ac pervagata ſit, tamque ſui ipſius luce ſplendens, ut non tam amplificandi, quàm percenſendi, nec tam exornantis quàm indicantis munus expoſcat. Qua tamen in re ſic moderabor orationi meæ, ut ne veram laudem ei detraxiſſe, nec falſam videar affinxiſſe. Illud modò à Vobis, Patres Conſcripti, officiosè contendo, ut humile hoc & demiſſum genus dicendi veſtrò favore, veſtrâ benivolentiâ, & attentione ſublevetis, quò mea hæc ſuſcepta intentio, his veluti ſecundis ſubvecta ventis, quem ſibi propoſuit, portum faciliùs conſequi poſſit.

Et ut ab ovo, quod dici ſolet, rem repetam, veterum morem inſequar, qui non minùs ritè quàm ſapienter, dum viros fortes laudandos ſuſcepiſſent, fuere rati, maximum ad ſuarum virtutum incrementa adjumentum id allaturum, ſi à terræ ſitu illo, in quo orti, in quem excepti eſſent, ubi primum hauſiſſent cœlum, orationes ſuas auſpicarentur. Cui terræ tantum eſſet attributum, ut & Parentis ſanctiſſimum nomen nobiscum haberet conjunctum atque commune: quo patria diceretur, & nihil eſſet, quod à fortiſſimo viro vel dici ſapienter, vel prudenter agi, vel etiam fortiter geri poſſit, quin illi gloriæ laudisque participatione reponeretur. Patria GOTHOFREDI ANTONII communis, Germania eſt, inquam, jovio teſte, omnium literarum cultura feliciſſima fatali comigratione tranſivit. Cui unicum Bodini adjungam teſtimonium, qui etſi aliàs infenſus Germanorum obtrectator extitit, ita tamem veritatis urgentibus ſtimulis ſcribere coactus fuit: Nullum illuſtrius eſt quàm Germanorum exemplum, qui cum à feritate beluarum procul abeſſent; cum in paludibus, ferarum more, vagarentur; cum inveterato quodam odio ſemper à literis abhorruiſſent, nunc tantum profecerunt, ut humanitate Aſiaticis, militari diſciplinâ Romanis, religione Hebræis, Philoſophiâ Græcis, Geometriâ Ægyptiis, Arithmeticâ Phœnicibus, Aſtrologiâ Chaldæis, opificiorum varietate populis omnibus ſuperiores eſſe videantur. Hinc Machiavellus ſuæ ætatis Italos urbanè increpavit, quod cùm ingenioſi ſibi admodum viderentur: attamen Germanos accirent ad

meti-

metiendos fines agrorum. Particularis GOTHOFREDI ANTONII Patria eſt Weſtphalia, ex qua, hôc præſertim noſtrô ſeculô, tot eruditi & laudatiſſimi viri prodiere, ut meritò fatendum ſit, Deum in illam gentem largiter dona ſua contuliſſe. Attollite mecum oculos & circumſpicite quocunque reſpexeritis, in quemcunque Germaniæ cardinem oculos deflexeritis, vix locum aliquem ſive Muſis ſive Mercuriò amicum invenietis, cui Weſtphalia hodie non ſubminiſtret viros celebres & rerum peritos. Adeat quis Roſtochium, & inveniet ibi Erneſtum Cothmannum JC. eximium, Profeſſorem juris primarium, & Illuſtriſſimi Megapolitani Ducis Cancellarium, is eſt Weſtphalus. Inveniet ibi Affelmannum Theologum non poſtremo loco collocandum. Inveniet Lindemannum in jure noſtro & orbe terrarum verſatiſſimum, illi ſunt Weſtphali. Inveniet ibidem & in aliis civitatibus Wandalicis Conſules, Senatores, & Syndicos è Weſtphalia oriundos. Cui ignotus Bocerus, JC. & Tubingenſis Academiæ Anteceſſor Clariſſimus, is eſt Weſtphalus. Et quid opus longinqua conquirere, habuimusne hic noſtrum GOTHOFREDUM ANTONII JC. omnibus numeris abſolutum? Habemusne adhuc hodie, Dei clementiâ, Theologos doctiſſimos, quos nobis ſubminiſtravit Weſtphalia? Ut alios in vicinia & paſſim clarentes prætercam. Camera Imperialis, quæ eſt S. Cæſareæ Majeſtatis & totius Imperii ſummum & præcipuum Conſiſtorium, Aſſeſſores & Advocatos habuit & adhuc habet ex hac gente laudatiſſimos. Quis non novit Thomam Michaëlem, Thomam Merckelbachium, Roſenthalium, juris noſtri lumina, & alios. Inſpiciat quis Catalogum diſputationum Baſilienſium doctiſſimarum; præcipuas & optimas Weſtphalis acceptas feret, ita ut huic genti, barbam vellicantem, ipſe veritatis meridies & facti evidentia pleniſſimè refellat. Natus præterea noſter GOTHOFREDUS ANTONII, ut à patria ad parentes provehar, parentibus honeſtiſſimis, anno à nato Chriſto 1571. in oppido Freudenberg / Patre integerrimo, PETRO ANTONII, & Matre pudiciſſima, FRANCISCA Fiſcherinn / qui eum non ſolùm, ut par erat, ſacris initiarunt, ſed etiam literarum & pietatis ſtudiis omni meliori modo imbui curarunt. Et cum ſingularem illam ingenii divinitatem in puero adhuc crudo deprehenderent, ad vicinas Scholas Unnaenſem & Hammenſem eum literarum cauſa delegarunt, ubi prima literarum &

artium rudimenta ita hauſit, & tantos progreſſus fecit, ut maximam virtutis & ingenii ſui exſpectationem apud omnes excitaret. Ex hiſce altiora anhelans, Suſatenſe Gymnaſium, parentum juſſu & auctoritate adiit, ubi fratris natu grandioris inſtitutioni & inſpectioni à parentibus commiſſus, tantum brevi profecit, ut fratris, cujus modò erat diſcipulus, brevi & inſolitâ metamorphoſi factus ſit præceptor. Quæ res non ſolùm admirationem cunctorũ, ſed etiam amorem & ſpem optimam ei conciliavit. Tantæ Virtutis indole, quæ perinde ac ver novum reliquæ vitæ denunciavit proventum uberrimum, commotus Nobilis quidam à Thal/ literarum amantiſſimus, hunc noſtrum GOTHOF. ANT. cùm eſſet adhuc adoleſcens duodecim annorũ, filiis ſuis præceptorem præficere non dubitavit. Hanc ſpartam nactus ita ornavit, & ad eam morum & doctrinæ metam perduxit, ut diſcipulorum ſuorum parentibus charus, omnibus verò bonis amabilis eſſet & acceptus. Induſtriâ ſuâ, fideli inſtitutione, & docendi dexteritate, animum prædicti Nobilis à Thal/ ita ſibi devinxit, & in ſui favorem pertraxit, ut ſpem ipſi faceret ſubitò, adultioribus factis filiis, & ad Academica ſtudia idoneis, unà cum iis ad Academiam aliquam transmittendi. Quare cùm adhuc teneræ ætatis eſſent prædicti diſcipuli, per integras duodecim annos continuò, domeſtica & ſcholaſtica inſtitutione eis præfuit in Suſatenſi Gymnaſio, ubi ita ſtudia ſua coluit, tam uberes ingenii fructus profudit, ut omnes facilè intelligerent, genium in pectore ejus habitare ſupra vulgarem hominum ſortem, mentem immortalitatis ſtudioſam omnium ſcientiarum capax ingenium, quod literarum amore noctes atque dies inquies agebatur. Memoria quæ eſt artium ſtudio quæſitarum cuſtos fideliſſima, divina & incomparabilis in eo fuit. Memini me audire ex ipſo, quod in juvenili ætate integras conciones, notatâ quaſi per indicem diſpoſitione, & ſacrorum dictorum allegatione, è templo domum reverſus, eo quo propoſitæ eſſent ordine, recitare potuerit, & iiſdem planè verbis, geſtu & ſono. Laudatur Petri de Ravenna memoria, quæ in tantam excrevit promptitudinem, ut multa millia rerum ſtans perciperet animo, & eo, quo accepta erant ordine, memoriter redderet. In Seneca tanta prædicatur memoriæ felicitas, ut duo millia nominũ, quo ordinè dicta erant referre potuerit. His licet non omnino ſimilis fuerit noſter GOTHOF. ANT. proximè tamen ad eorum felicitatem acceſſit, Et quamvis raro in uno ſubjecto, memoria incomparabilis, cum magno & exacto judicio

con-

Digitized by Google

concurrat, adeò ut memoriam inordinatam habens, Alexio teſte, præſumatur eſſe fatuus illa tamen præſumptio & conjunctura veritati detectæ & omnium oculis ſubjectæ cedere debet meritò. Quis enim ignorat, quæ judicii in illo viro fuerit ſagacitas, quæ promptitudo, ut non minor hujus quàm illius gloria apud eum vigeret. Præterea cum aliquantò diutiùs præter votum in Gymnaſio Suſatenſi, diſcipulorum occaſione detineretur, humaniorum literarum cultura non fuit contentus, ſed ad Jurisprudentiæ fontes properavit, & prima juris elementa ita jecit, tantumque profecit, ut non ſolùm privatim cum Juris ſtudioſis ex Academiis redeuntibus, de quæſtionibus controverſis, eruditè ſententias conferre, ſed etiam publicam juris diſputationem laudabiliter defendere potuerit. An. 1594. & ætatis ſuæ 24. à prædicto Nobile à Thal/ cum ſuis diſcipulis, ad Academiam Marpurgenſem miſſus fuit, ubi à quibusdam Lentulis, bucconibus & invidis plæclaræ iſtius virtutis, quæ in eo adhuc in triviis verſante lucidè reſplenduerat, ſatis inhumaniter & importuno inſultu exceptus. Verùm ille invidorum hoſce turbines non furore, ſed patientia ſuſtulit, & forti animo ſusque deque habuit. Ac cum omnes ſpes ſuas poſt rerum divinarum cognitionem, in perpetuis literarum theſauris & ſolidæ juris cognitione repoſuiſſet, ejusque primum tyrocinium in patria ſchola depoſuiſſet, aperto Inſtitutionum collegio, aliis ſe adjunxit, eruditaque argumentum oppoſitione ac reſolutione talem ſe exhibuit, ut Præſidis ſui favorem, multorum amorem, nonnullorum etiam invidiam ſibi conciliaret, cùm ſubitò ejus virtus non ſecus ac flamma fulgere cœpiſſet. Interea Præſes Collegii Vir eximius D. Philippus Regelius Civitatis Hildeſienſis Syndicus ſpectatiſſimus, avocatur in medio collegii curſu. Conſulitur de ſubſtituendo Præſide, ne interrumpatur labor cœptus. Præſidis primum fuit votum, nullum ad hanc ſuſcipiendam provinciam digniorem, quàm noſtrum GOTHOFREDUM ANTONII, cujus ſpectata eſſet eruditio, prompta dubiorum reſolutio, optatiſſima ſermonis elegantia. Quæ res cum & eventu inſolita & novitate mira, multorum, qui ſibi ſolis vel ex hac ratione ſapere videbantur, quod diutiùs in Academiis vixiſſent, invidiam peperit, adeò ut plurimi ad Præſidis hujus novitii enervandam auctoritatem nullum non moverint lapidem. Verùm nihil invidia, nec inanis quorundam profecit perſuaſio. Omnium invidorum impetum maſculâ virtute & admirabili eruditione ſuperàvit. Nullum temporis punctum

Digitized by Google

ſtudiis vacuum abire paſſus eſt: Nullum laborem ſibi exiſtimavit intolerabilem; noctibus ſub æqualitate dierum in libris & chartis aſſiduus & aecubuus fuit. Invidiam & fremitum comilitonum tanquam fumum habuit. Virtus enim & Invidia flammæ fumoque ſimilia: & ſicut ab invidia ceu fumo quodam Virtus initio obſcuratur, ſic dignitate acuta tandem ipſa eluceſcit ſua ſponte, ceu ſtella matutina in medio nebulæ meridionalis. Sicut enim gloria è virtute, ita ex hac æmulatio ipſa atque invidia exſpectanda ſunt, tanquam paſtus & obſonium veræ gloriæ. Hinc iſte verſiculus;

- - Pulcherrima Virtus
Invidiam comitem ſemper in orbe trahit.
Quis enim ignem
Surgere ventoſi videt absque volumine fumi
Infelix caret invidia

Quod ipſum Poëtæ non poſtremi ſapientiæ auctores fabulis non minùs ſapienter, quàm eleganter adumbrarunt. Quoties namque Herculem tanquam abſolutum virtutis exemplum proponunt, invidiam illi nutricem apponunt, cujus tanquam in palæſtra à teneris unguiculis ictu crebro indureſceret. Non enim melius heroes quàm per invidorum humeros in cœlum aſſurgere, exiſtimarunt. Emerſit itaque & noſter GOTHOFREDUS ANTONII ex iſtis invidiæ latebris animosè, tantumq; ſibi gratiæ & auctoritatis inter ſtudioſos acquiſivit, ut iſto finito Collegio, ſtudioſos catervatim ſollicitatores habuerit, ad nova aperienda collegia. Hoc ipſum cùm videret ad publicam utilitatem, ſuum honorem & aliorum redundare commodum, gnaviter effectu dedit & non mediocriter inclaruit. Cæterum cùm per biennium tantum in Academia Marpurgenſi commoratus eſſet, ut ſuorum tandem laborum in utroque jure exantlatorum fructum aliquem capere atque ad res forenſes, quibus tractandis totum ſe debere deinceps conſtituerat, obeundas plus fidei etiam atque auctoritatis habere poſſet, ab Ampliſſimo Academiæ illis Senatu Juridico, inſignia Doctoralia in utroque jure petiit, quæ & petenti ſumma cum Virtutum & eruditionis commendatione Anno 1596, à Philippo Matthæo JC. & Profeſſore percelebri, delata fuerunt. Huic actui & juſtitiæ deſponſationi acceſſit & nuptiarum feſtivitas, cum ei eodem die Virgo pudi-

Digitized by Google

pudiciſſima Elſabetha, Viri Ampliſſimi & Conſultiſſimi, Conradi Piſtorii JC. practici eximii, & Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principis ac Domini, Domini Ludovici Haſſ. Landgr. Domini noſtri Clementiſſimi, Conſiliarii Intimi, filia lectiſſima, modò Vidua mœſtiſſima, matrimonio copularetur. Adeptis deinde honoribus Marpurgi rerum ſuarum ſummam & domicilium conſtituit, ſtudia Academica cum practicis feliciſſimè conjunxit, & non rarò terna quaterna & plura collegia pro exercitio ſtudioſorum ſimul aperuit, inque ſingulari lepore & gratia præfuit Neque interim ſtudia neglexit practica, in quibus juris noſtri verus efflore-ſcit uſus & nucleus. Ideoque maximopere probandi illorum labores, qui non ſolùm in leges Romanas inquirunt, ſed eas ad noſtrum forum accommodant, Conſultoribus de jure reſpondent, cauſas litigantium jure & legibus tuentur, controverſias legitimè definiunt; hoc eſt veri JCti munus & officium profitentur: atque vel hic eſt ſtudii practici cum theoretico conjungendi fructus apprimè magnus: ut neque minutias omnes theoreticas, ſæpe numero præ nimia ſubtilitate ſub manibus evaneſcentes, nimis admiremur, inque iis immoremur: neque etiam ſine liberalioris literaturæ juridicæ cultu & Germana juris cognitione in luxuriantibus practicorum campis, quamvis inanem ſtipulam pro vivido veritatis flore arripiamus. Culpandi enim illi ſunt præpoſteri practici, qui cum vix exiguum vel nullum periculum in Juris Romani cognitione fecerunt, magni volunt videri Practici, & cauſas ex jure quod non probe cognoverunt, tueri. Hoc utrumque dexterrimè perfecit noſter GOTHOFREDUS ANTONII. Cumque hac feliciſſima ſua theoriæ & praxeos conjunctione nominis ſui exiſtimationem non obſcurè propagaſſet, vocatio ſatis lauta pinguis & honeſta ipſi à Senatu Stralſundenſi ad Syndicatum oblata, promiſſo ſalario trecentorum Joachimicorum, liberâ habitatione, vino ad neceſſitatem, lignis aliiſque honorariis & immunitatibus, ut ex literis ad ipſum datis apparet. Verùm noſter GOTHOFREDUS ANTONII futuram Academicæ functionis exſpectationem lautiſſimæ conditionis oblationi longiſſimè prætulit, eamque honeſtè recuſavit. Neque ipſum ſpes fefellit. Paulò namque poſt Philippus Matthæus, JC. non obſcuri nominis, rebus humanis exemptus. Deliberatum fuit de ſucceſſore: Illuſtriſſimo Principe ac Domino Dn. Ludovico Senio-

re pientiſſimæ recordationis, nominante GOTHOFREDUM ANTONII: Illuſtriſſ. verò Principe ac Domino, Dn. Mauritio, alios nominante. Obtinuit tandem votum Ludovici Principis ita ſcribentis ad Principem Mauritium, cujus verba, ut in vulgata lingua inveni, ſubjiciam, quæ ita habent: Wir halten abermahl dafür/ es werde gedachter D. GOTHOFREDUS ANTONII wegen ſeinen Qualitäten/auch doctrina und Eloquentia unſer Univerſität gar wol anſtehen/ und da er von dannen abziehen ſolte/ könte ſich zutragen/ daß dieſelbe unſere Univerſität/ noch ſeiner hernechſt wol miſſen würde. Et paulò aliter in aliis literis: Und da E. L. deſſelben Gelegenheit und daß er hiernechſt auch wol in andern Sachen zugebrauchen wiſſen ſolten ꝛc. Quamobrem ad juris Profeſſionem in Academia Marpurgenſi vocatus eſt non eblanditis ſed enucleatis Principum ſuffragiis: non alicujus ope aut patrocinio, ſed virtute, ingenio, eloquentia & ſingulari eruditione. Hanc ſibi à Principibus clementiſſimè concreditam Profeſſionem Inſtitutionum Juſtineanearũ, honorificentiſſimè tam diſputationibus quàm prælectionibus adornavit. Teſtantur id ipſum diſputationes iſtæ Feudales Marpurgi brevi tempore habitæ, quæ ferè omnium juris Candidatorum teruntur manibus: Teſtes erunt ejus omnes in Marpurgenſi quondam Academia collegæ & Profeſſores: Teſtes erunt illius temporis auditores lectiſſimi qui magno numero ad diſputationes & lectiones ejus avidiſſimè convolarunt, eumq; tanquam juris aſylum & interpretem exoptatiſſimum venerati ſunt. Huic profeſſioni cùm per annum utiliſſimè præfuiſſet, ad Pandectarum Profeſſionem vacante loco promotus fuit. Durante iſta functione ad Cancellariatum à Generoſis Comitibus Waldeccenſibus deſideratus fuit, quem humiliter ob graviſſimas cauſas & rationes ſubire recuſavit. Et cùm hanc Profeſſionem per ſemeſtre ſpacium pari gratia & auditorum frequentia obiviſſet, incidit proh dolor lamentabilis iſta reformatio, Marpurgenſis, quæ florentiſſimum Academiæ ſtatum miſerrimè profligavit & diſſipavit, ac non ſolùm ſpectabilia illius membra, ſed integram facultatem Theologicam avulſit. Noſter autem GOTHOF. ANT. in functione ſua aliquantisper ſubſtitit, & ut in eadem conſtanter perſeveraret, ab Illuſtriſſimo Mauritio Principe clementiſſimè interpellatus, & à Profeſſoribus enixè ſolicitatus, oblatâ Celſitudinis ſuæ gratiâ & omnimodâ religionis & conſcientiæ libertate. Interim hic deliberatur de nova inſtauranda Academia. Vocatur ab Illuſtriſ-

luſtriſſimo & Celſiſſimo Principe ac Domino, Dn. Ludovico juniore Haſſiæ Landgravio, Domino noſtro Clementiſſimo, GOTHOF. ANT. & inſtanter vocatur, ut & Conſiliarii & Profeſſoris munus obeat. Cùm verò à S. Cæſarea Majeſtate Academica noſtra privilegia nondum eſſent obtenta, paulò ſubſtitit, & incertus quid faciendum hæſit. Verùm ille ſingulari pietatis ardore & ſinceræ religionis candore, ſacra mundanis & publica privatis antevertens, vocationi novæ humillimè morem gerere decrevit, ſuamque ab Illuſtriſſimo Mauritio Haſſiæ Principe dimiſſionem debitâ devotione petiit, quam tamen ægerrimè obtinere potuit. Et quamvis privilegia Academica ex incerto adhuc penderent eventu, non tamen dubitarunt ſtudioſi quàm plurimi, cum eo ad Gymnaſium tunc temporis Gieſſenſe tranſire, ibi putantes Academiam, ubi eſſet GOTHOFREDUS noſter ANTONII. Obtentis deinde & publicatis Academicis privilegiis, Academiæ Cancellarius & Juris Profeſſor Primarius deſignatur. Primus Rector Magnificus nominatur: Primum Collegio huic ædificando poſuit lapidem: Primum actum doctoralem exercuit: Quid præterea in legendo & diſputando præſtiterit, vos noviſtis Patres Academici: norunt & alii paſſim Juris amantiſſimi. Noviſtis pariter quæ ejus in jure interpretando dexteritas & promptiſſima facilitas, quæ in diſputando ſubtilitas & accuratio. Non illi de verbis in conſilium venire opus fuit, nunquam ſermonis inopia ſubſtitit; ſed velociſſimo curſu ac facillimo beata & omnibus grata confluxit oratio. Quicquid aliis præſtat longa cogitatio, id illi prima dedit animi intentio. Fuit in eo inaffectatus ſplendor, maſcula & robuſta vocis ſuavitas & quaſi congenita ſtyli majeſtas. Quæ divina illius viri dona Academiam noſtram inclareſcere, & Juris ſtudioſos ad hoſce Muſarum fontes, ad hunc juris Romani Dictatorem catervatim concurrere fecerunt. Audivi ex ſtudioſis, qui præcipuas Germaniæ Academias peragrarunt, & hunc noſtrum GOTHOFREDUM ANTONII quondam de obſcuris dilucidè, de confuſis ac perturbatis ordinatim ac diſpoſitè, de dubiis enucleatè diſſerentem audiverant, referre, quod neminem tantâ cum gratia (ſine cujusquam invidia dictum ſit) accuratione & gravitate diſputatoris partes ſuſtinere vidiſſent. Memini me etiam ex ipſo audire, quòd in addiſcendo & interpretando jure noſtro nunquam ei obſtiterit moleſta difficultas, adeoque ſæpe dixit, quaſi connatam ſibi ſemper viſam fuiſſe Romanam jurisprudentiam, ut ſi diuturniorem ei

vitæ uſuram divina largita fuiſſet clementia, multum in jure noſtro præſtitiſſet. Locutus mecum eſt aliqando de utiliſſimo & in praxi hactenus nòndum viſo tractatu, *de ſententia & re judicata*, ſingulari induſtriâ ex principiis Theoricis & practicis elaborando, modò corporis vires & occupationes id paterentur. Pariter in jure Feudali accuratam ſingulari methodo tractationem proponere geſtiebat, in qua totum jus Feudale ad certa principia redigere, & deinde ex iis quæſtiones præcipuè controverſas inferre, jam pridem diſpoſuerat, ita ut iis principiis benè & plenè cognitis, de qualibet controverſia Feudali incidente utiliter quis ſententias conferre poſſet. Quæ omnia laudabiliter, cum immortali nominis ſui gloria, perfeciſſet, ſi voto & conatui honeſtiſſimo fati felicitas & clementia ſatisfeciſſet, Verùm enim verò, morbi diuturni calamitas & mortis prævenientis celeritas, hunc in ipſo virilis ætatis vigore, qua ad res perficiendas arduas quivis eſt aptiſſimus oppreſſit, eaque nos & totam rem literariam privavit opera. Quid in reſpondendo & conſulendo de jure præſtiterit norunt multi & adhuc cœleſti favore notius fiet. Vocatus ex hoc loco fuit in Academiam Helmſtadianam, ut Doctori & JC. Celeberrimo Fœrſtero in primaria Profeſſione ſuccederet, Vocatus præterea à Civitate Luneburgenſi & Suſatenſi ad Syndicatum: Verùm haſce vocationes omnes recuſavit, & Illuſtriſſimo noſtro Principi humillimè totus addictus eſſe voluit. Quod verò, quod primo loco ponendum fuiſſet, in Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principis ac Domini, Domini noſtri Clementiſſimi, conſiliis pro aris & focis humilimè & feliciſſimè effecerit, novit Celſitudo ejus optimè, novit Aula Cæſarea, novit Imperialis Camera, novit tota ſuperior Haſſiæ ditio, norunt omnes ejus ordines, noviſtis & vos Patres Academici, & nemo eſt qui non norit. Functus eſt graviſſimis Cæſareis Commiſſionibus, & Illuſtriſſimi noſtri Principis arduis Legationibus. Neque dici poteſt in obeundo Legati munere, quantopere & Electoribus & Principibus Germaniæ potentiſſimis, ad quos miſſus fuit, & omnibus ſummis pariter ac infimis gratus acceptusque fuerit, integritate vitæ, ſummâ vultus ac ſermonis comitate, conſiliorum pondere & gravitate, Tale virtutum ſuarum ſpecimen edidit, ut non dignitas Viro, ſed Vir dignitati ornamento fuerit. Hæc in rebus commiſſi perficiendis toties experta fides & dexteritas, ſingularem Illuſtriſſimi Princi-

pis

Digitized by Google

pis noſtri ei conciliavit clementiam & gratiam. Hinc cum graviſſimæ cauſæ apud potentiſſimum Saxoniæ Electorem eſſent expediendæ, Illuſtriſſ. noſter Princeps GOTHOFREDUM ANTONII, quamvis decumbentem, & cum podagricis doloribus graviter conflictantem, mandatis ad legationem obeundam inſtruxit; à qua debita obſervantia ſuſcipienda, nec valetudinis imbecillitas, nec temporis hyberni injuria & frigus ipſum deterruit. In toto hoc itinere, quamvis longiſſimo, ipſe pedem de rheda ponere non potuit, ſed Rhedarii & aliorum opera geſtatus fuit. Cum verò Dresdam appuliſſet, ab Electore Saxoniæ honorificentiſſimè exceptus, negotia commiſſa, ægrò quamvis corpore, magno tamen animo expedivit. Ex hoc itinere reverſus ita debilitatum ſe ſenſit, ut eunte Illuſtriſſimo noſtro Principe ad Comitia nupera Ratisbonenſia, Celſitudini ejus, quamvis maximopere deſideranti, non valuerit adeſſe. Ab hoc tempore quotidie Podagrici dolores augeri cœperunt, & per omnia membra diffundi: unde & membrorum graviſſima contractio exorta. Hiſce doloribus, cum raro una calamitas ſola, acceſſerunt dolores nephritici, qui maximopere eum afflixerunt. Quos tamen morbos exquiſitiſſimi doloris, ſingulari animi patientiâ, tolerantiâ & fortitudine pertulit, ac datâ aliquali à Deo dolorum remiſſione in graviſſimis cauſis & conſiliis conficiendis, nihil apud ſe deſieri paſſus eſt. Imo tantopere Principis & publicæ utilitatis cura ei cordi fuit, ut ſuum dare juſſus conſilium, ſomnum in oculis videre non potuerit, antequam ſaluberrimi conſilii medelam inveniret. Convenientem fortunæ ſuæ animum ſumpſit, & aliquando etiam per recreationem lætitiæ & joci Symbola dedit, ac certiſſimum patientiæ argumentum exhibuit. Et quamvis non defuerint, qui haſce Chriſtianæ crucis afflictiones viro optimo exprobrarint, pro oblectamento habuerint, & tanquam vindictæ divinæ pœnas ei objecerint. Rectiùs tamen ſentiunt, qui exiſtimant, piis omnia cooperari in bonum, & quicquid illis accidat dulce vel acerbum, leve vel arduum, dextrum vel ſiniſtrum, à DEO infligi, non in peccati pœnam, ſed conſtantiæ experimentum. Illæ enim duntaxat ærumnæ merentur appellari, quibus ſuſtinendis patientia deeſt & ſolus infelix in hac calumnioſa vita dici poteſt, cui tolerantiam Deus in miſeriis denegavit. Cætera imperſcrutabile Dei judicium noviſſimo die aperiet. Patientiæ hujus Dux fuit

Pietas

Pietas & ſacrorum lectio, quæ pro dulciſſimo pabulo afflictus GOTHOFREDI noſtri animus habuit. Hæc pietatis ſtudia, Miniſterii veneratione, & ſacræ cœnæ uſurpatione, ut & antea frequenter, ita noviſſimè compròbavit. Et cùm jam perſentiſceret morbi calamitatem ingraveſcere, & vitæ tandem inſidias ſtruere, in rebus divinis ſolatium & perfugium quærendum eſſe ſtatuit. Quamobrem Reverendum Virum, Dn. D. Fevvrbornium, velut animarum patrem legitimè conſtitutum, accerſiri deſideratiſſimè petiit, cum quo ex intimis cordis penetralibus, quoad caloris aliquæ reliquiæ ſupererant, ardentiſſimè oravit, & ita placidiſſimè inter medias preces & aſtantium lacrymas ex hoc miſeriarum ergaſtulo & deterrima rerum caligine, ad ſempiternam lucem, & illum bonis omnibus circumfluentem cœleſtium animarum cœtum, diſceſſit. Quare denuò cum Poëta:

Illicet in lachrymas, heu illicet, illicet illa
Mortis inorata præcipitata dies.

Multa nobis reliquit, quæ collaudemus; multa, quæ imitemur; laboris tolerantiam, indefeſſam in rebus cognoſcendis & perficiendis operam, ſingulari comitate conditam, gravitatem amplificandæ religionis ſtudium, incredibilem nulliſque labefactatam offenſionibus, in adverſis Patientiam & conſtantiam, ſingularem in rebus ſecundis animi moderationem & humanitatem; cunctis fuit benignus & affabilis, omnibus æquus, ad miſericordiam pronus. Dolendum igitur eſt Illuſtriſſ. & Celſiſſ. Principi ac Dn. Domino noſtro clementiſſimo, qui tam duris temporibus tanta fide, tanta prudentia præditum Conſiliarium amiſit. Dolendum eſt Eccleſiæ, quæ in extrema tuitione Præſidem amiſit certiſſimum. Dolendum eſt Academiæ, quæ Cancellariū amiſit auctoritate & amplitudine ſpectatiſſimum. Dolendum eſt Viduæ mœſtiſſimæ, quæ maritum, liberis, qui parentem amiſerunt. Dolendum eſt huic Cathedræ, quæ ſi rerum natura pateretur, in lachrymas & gemitum erumperet, & luctum non luxum oſtenderet. ex qua tanta cum gratia & auctoritate docuit & diſputavit. Dolendum eſt medius fidius hiſce parietibus, quorum primum poſuit lapidem GOTHOFREDUS ANTONII. Docendum eſt his ipſis ſubſelliis, quorum ornamentum & decus ſingulare fuit GOTHOF. ANT. Dolendum eſt mihi, qui afinem meritiſſimum & collegam duplici nomine venerandum amiſerim. Dolendum eſt ſtudioſis quod fidelem juris interpretem &

litera-

literatorum Aquilam amiſerint. Verùm doloris noſtri ſolatium, divinæ voluntatis ſit beneplacitum. Jehova ter optimus maximus omnes, qui immaturo hujus viri obitu afflicti ſunt, recreet & reficiat, ac ad divini Numinis & nominis ſui gloriam hunc locum ſuppleat.

Concio ſummo huic JCto *funebris* habita fuit ex *Ioh.* II, 21. 26. à *Iuſto Fevvrbornio*, SS. Theol. Doct. ejusdemque Prof. ordin. & Eccleſiaſt.

EPITAPHIUM.

Hâc urnâ tegitur GOTHOFREDI *corpus: At ingens*
Non eſt exiguo hoc condita fama loco.
Nempe Academias, ubi jura per ampla polito
Verborum edocuit pondere, voce, manu;
Conſiliisque Aulas rexit; Legatus abivit;
Auxilio & cauſis adfuit innocuis;
Liquit & exemplum fidei, patientiæ, amoris
Quaque adeò eſt aliis congrua vita piis;
Nunquam laus aberit, ſpatioſi hac machina mundi
Quâ patet, hâc ipſum gloria certa manet.
Sub terra corpus bene dormiat; & ſuper illam
Eſto honor: in cœlo mensque beata ſiet.

M. CHRISTOPH. SCHEIBLERUS P. P.

SCRIPTA.

Diſputationes Anti-Vultejanæ quatuor, jurisprudentiæ Romanæ ab Hermanno Vultejo editæ ſpecimen exhibentes: *Gieſſæ* 1609. in 4.

Diſputationes Feudales XV. in Academia Marpurgienſi habitæ: *Marp.* 1604. & *Gieſſæ* 1613. in 4.

Apologetica diſputatio, de poteſtate Imperatoris legibus ſoluta & hodierno ſtatu, adverſus H. Vultejum, JC. Marpurg. in Academia Gieſſenſi habita: *ibid.* 1609. in 4.

Adverſaria in pleraſque Dn. Andreæ Gailii, JC. Practicabiles Obſervationes, ab ejus Filio, Wilhelmo Antoni J. U. D. edita: *Marpurgi* 1629. in 4.

ORA-

ORATIO FUNEBRIS,

In obitum

Ampliſſimi & Clariſſimi Viri,

DN. PETRI GUDELINI,

JCti & in Academia Lovanienſi Anteceſſoris meritiſſimi,

Habita Lovanii in exequiis 22. Octob. 1619.

à

MAXIMILIANO WITTEBORT, J. U. Doctore.

LUgere mecum tacitus Academiæ noſtro jacturam, & inſontis amici, Profeſſoriſque quondam mei, caſum indigmari, juſto meo dolore conſtitueram; niſi mihi præſertim in hiſce ſacris feralibus, oratoris partes ſilentio ſuo cæteri, quod audire maluiſſem, reliquiſſe viderentur. Et fortaſſe non abs re prudentiſſimi viri linguarum alioqui diſſertiſſimarum, indicta velut ſibi taciturnitate, altum animi ſui conteſtari dolorem ſatis eſſe putaverunt ut mutis quaſi ſacris parentarent. Imò ſi quid acutiore conjectura conſequor, forſitan eadem quæ me ab initio cauſa remorabatur, iiſdem continentem perpetuamque orationem non permiſit, aut maturiori judicio rem propius conſiderantes, munus hoc quemadmodum intactum reliquerunt; ita præ cæteris mihi debitum unanimes cenſuerunt. Siquidem officii mei arbitrati ſunt Clariſſimi viri, ut Clariſſimo viro Petro Gudelino fatis functo vicariam linguam, inter hæc triſtia atratæ Eccleſiæ pulpita, unus præcipuè offerrem; cui viventi prope jam triennium, ob ætatis ingraveſcentis imbecillitatem, vocem ſtylumque publica in profeſſione accommodaram. Potuit & patria aliis ſilentii cauſam præbuiſſe, mihi ad dicendum ſtimulo fuiſſe, qui ſub eodem cœlo natus, & in eodem Hannoniæ ſolo ſuſceptus & educatus, gentili & pæne populari meo noviſſimum hoc

Vocis

Digitized by Google

Vocis animique obſequium ſine manifeſta ingratitudinis nota denegare nulla ratione potuiſſem. Quamobrem quæcumque in hoc publico Univerſitatis noſtræ luctu allaturus ſum, ſic accipiatis velim, ut ab aliis longe copioſiori eleganti orique oratione explicari potuiſſe cogitetis: à me paulò ornatius, ſi pluſculum temporis orationi conſtruendæ relictum fuiſſet.

Verum ne latiſſimus hic immenſæ laudis campus, inter dicendum latè fuſeque orationem abducat, melliflua præcipuè florilegæ inſtar apis excerpam: iisq; commemorandis præcipuum ſtudium adhibebo, quæ & admirationem digna ſunt parere, & imitandi ſtudium, qua ad doctrinam, qua ad virtutem excitare. Atque imprimis dubito, gratulerne tibi, Hannonia ditionum Belgicarum, vel ipſius Hiſpaniarum Regis elogio, nobiliſſima, quæ tanto viro chariſſima patria exſtitiſti, an verò tui causâ, magis doleam, Athum, quod inter tot præclara ingenia, nobileſque & honeſtas familias, quarum progenitrix & altrix fœcundiſſima fuiſti, etiam hunc virum Clariſſimum Petrum Gudelinum in lucem fauſtiſſimo ortu edidiſti. (1) An etiam vos huc compellem, O Grajæ Latiæque Muſæ celeberrimi eodem in oppido Lycæi, quæ illum infantiæ annos egreſſum humanioribus literis imbuendum ſuſcepiſtis: in quibus Antiphanis dicti memor.

Τῆς ἐπιμελείας δοῦλα πάντα γίγνεται, cum animi ardorem, eamque ſedulitatem adhibuit ut in omnibus claſſibus primas ſemper tenuerit, pluribus retrò ſe longo ordine relictis coriphæus ſemper & anteſignanus. Ab his ſermonem utriusque linguæ doctus, Lovanium locupletiſſimum quarumcunque ſcientiarum emporium dimiſſus eſt, ut philoſophicis diſciplinis celebri illo in Falconenſi Pædagogio erudiretur, (2) Sed ecce adoleſcentis ingenium atque indoles, quæ perinde atque ver novum reliquæ vitæ proventum denuntiat, quomodo ſeſe prodit! nihil præter philoſophica ſpirat, ſyllogiſmos & enthymemata profundit, condiſcipulos & profeſſores ſuos in admirationem trahit, eâque ſedulitate pergit, ut poſt biennium circa decimum ſextum ætatis ſuæ annum. In quatuor pædagogiorum concurſu ſui Collegii primus, omnium tertius, princeps indubiè futurus (absque invidia dico niſi diutinus moribus palmam

(1) *Natus 8. Auguſti 1550.*

(2) *Lovanium ſtudii cauſa primum venit anno 1564.*

palmam eam illi invidiſſet. (3) Dolendum ſanè, & fortunæ forſitan ipſi iraſcendum, niſi prout humana ſe habent omnia, rarò admodum inoffenſo pede à carceribus ad metam decurrere contingeret. Colligere multi diverſis in ſtudiis pulverem ſolent, ſed à pauciſſimis fervore rotarum evitari meta poteſt, & ne columnam inter utramque plenis, quod ajunt, velis ingrediamur, ſæpe malignitate caſus, pleraque intervenere. Illinc in altiora Juriſprudentiæ ſubſellia conſcendit, nobiliſſimam illam atque maximè neceſſariam humanæ vitæ ſcientiam arbitratus, eoque ardore Juſtiniani, aliorumque Imperatorum conſtitutiones, ſanctiſſimorumque Pontificum decreta, & reſcripta complexus eſt, ut ſumma cum laude. J. U. Prolyta renuntiaretur, & Clariſſimi tum temporis Profeſſores, quibus ſingularem venerationem cultumque deferebat, & à quibus præſcriptam ſtudendi methodum acceperat, ſero datam licentiæ laurum quærerentur. (4) At ille nequaquam inanitate tituli contentus, præmaturam illam palmam decerpere haud properabat; quod plerique hodie faciunt, partim ſuo partim parentum vitio, qui, ut Petronius ait, cum ad vota properant, cruda adhuc ſtudia in forum impellunt. Aliud arbitrabatur eſſe Juriſconſulti nomen, aliud Juriſconſulti munus & partes, illud paucis poſſe comparari, ac longâ jugique meditatione opus eſſe, ut legum Interpres Themidisque Myſtagoga perfectus habeatur. Ea de cauſa in ipſo Juriſprudentiæ tyrocinio, privatis fuit ſtudiis, quæ haud dubiè nocturna diuturnaque fuere publicum illud, quod Academiarum proprium eſt, ſemper conjunxit. Proinde & celeberrimorum tunc temporis Profeſſorum cathedris gradatim indefatigatus ſubſedit, & in eo ſemper vel maximam diſcentium felicitatem collocavit, quod horulæ plerumque ſpatio, quæ noctis unius dieique labore Profeſſores commentati eſſent, plenius perfectiusque eadem haurire poſſent. Hic animus, hic ſtudiorum tenor in eo ſemper fuit, quamdiu Juriſprudentiæ fines non erat egreſſus; ſed tantus ardor diſcendi non poterat unius ſcientiæ hauſtu reſtringui. Ad alias diſciplinas transvolare geſtit animus. Mathematicis diſciplinis, Aſtrologicisque contemplationibus & Geometricis commentationibus, ſeſe initiandum

(3) *Creatur Licentiatus artium anno* 1567. *& paulo poſt in eadem facultate Doctor.*

(4) *factus Licentiatus* 7. *Maji* 1572.

dum tradit, neque vulgari contentus ſtudio, noctes dieſque pari qua antea ſedulitate conjungit. Ita ſtudebat nihil parvum ſapere, & cum ſublimia curaret, indagabat, ſummorum Philoſophorum more & amore.

Quæ mare compeſcant cauſæ, quid temperet annum:
Stellæ ſponte ſua juſſa ne vagentur & errent;
Quid premat obſcurum Lunæ, quid proferat orbem:
Quid velit & poſſit rerum concordia diſcors.

Itaque cum præcipuam ſibi laudem in Jurisprudentiæ ſtudio ſtatuiſſet, relicta tantiſper Academia, & Romani juris exercitatione, Mechliniam praxis cauſâ ſe contulit. (5) Eam urbem Aſtrææ Belgicæ perpetum veluti domicilium ſanctiorisque ſapientiæ ſedem & ædem ſummi Principes delegerunt. Id verò ſapientiſſimo conſilio factum nemo bonus abnuerit, ut poſt percepta in Academiis Jurisprudentiæ elementa, juris ſtudioſi quaſi ab umbratili ſcholarum ventilatione ſub ſolem & arenam vocati, tyrocinium deponerent, agendisque ultro citroque cauſis, non minus ingenii ſui molimina tentarentur, quam diſciplinæ & artium, quas ab alieno ore cepiſſent, proprio ibi marte ſpecimina & experimenta præſtarent. Bone Deus ſub quibus magiſtris: ſelectiſſimis undequaque, & uſu longo prudentiaque exercitatiſſimis Juriſconſultis, quales vel in Areopago, vel Druidum Collegio, vel Romanæ Curiæ conſeſſu contenderis fuiſſe. Tanto fortunatior Gudeline, quod ibi omnia, quæ ad rem judiciariam ſpectant, per diligenter excerpſiſti, ut ſtatim juridicundo par eſſes, deque jure controverſo & difficillimis legum ænigmatibus certam indubitamque ſententiam aperires. Ecce ſtatim increbeſcit ingenii tui fama, ſub galli cantum Conſultores oſtia pulſant, legum oracula rei actoreſque ſciſcitantur, nulluſque ſecum bene vel cum rebus ſuis actum putat, niſi te patrono jura ſua experiatur. Admirata & gloriata Mechlinia eſt quaſi proprio fœtu; ſed patriæ debebaris. In quam ut dulciſſimum profugii locum, bello civili ſuborto te recipere, finemque ſævitiæ hoſtilis exſpectare cogeris: & ita inſtructiſſimum hoc ingenium velut poſtliminii jure recuperas Athum, quoque diutius fruaris, E poſtu-

(5) *Ante Licentiam in praxi Mechlinia octo menſibus fuit, & ſtatim ab ea 4 annis ibidem cauſarum Patronum egit.*

poſtulandi, ſcribendi, de jure reſpondendi varias ei occaſiones ſubminiſtras: imò in ampliſſimum ſenatorii ordinis magiſtratum, eum, præter morem, non conjugatum conſcribis: nec ſatis, anno altero in iisdem honoribus continuas, & tua curia tam gaviſa Gudelino eſt, quàm vel Athenæ Solone, vel Sparta Lycurgo. Sed ut rerum, quas ut plurimùm amamus, ita plurimi æſtimamus, nulla fere diuturna poſſeſſio eſt, tantum Juriſconſultum inter tam anguſtos natalis oppidi limites latere publica ratio non patiebatur. Invidebat Atho illuſtriſſimum illud doctrinæ decus Lovanium; exſpectabant illum Juriſprudentiæ pulpita, & à doctiſſimis tunc temporis legum canonumque Interpretibus quam avidiſſimè deſiderabatur. Quis neſcit nunquam tacendam Wameſii, Caverſonii, & Zuerii memoriam? illa, illa Univerſitatis, non tantum juridicæ facultatis lumina pro tanto viro (ſi pace Manium, ſanctiſſimarumque umbrarum liceat) teſtes appello. Te Wameſi, de Caverſoni, te Zueri, qui quibuscunque rationibus & modis reluctantem Gudelinum induxiſtis, ut Academiæ Lovanienſi ſeſe iterum oſtenderet, parenti optimæ gratificaretur, fructum ſtudiorum aliquem perſolveret, & beneficium acceptum non ingratus alios erudiendo compenſaret. Intelligebant ſane ſapientiſſimi illi hujus Academiæ Rectores, qui & quales viri ad Academicam cathedram promoveri deberent; neque enim Legulejum aliquem, aut trium, ut ita dicam, legum Conſultum: ſed ſolidæ jam doctrinæ, & publicis privatiſque exercitationibus probatiſſimum conquirebant, evocabant. Atque licet etiam tunc temporis præclariſſimorum virorum ingeniis Lovanium abundaret, tamen illud lumen ab hoc Academico cœlo abeſſe impatienter ferebant, ejusque doctrinæ claritatisque quaſi præſcii, hic quantus qualisque aliquando, futurus eſſet, quam utrique Reip. utilis, ex certis auguriis certiſſima auſpicia ducebant. Itaque efficacibus tam gravium virorum precibus conſilioque revocatus, dum lectionem exſpectat, honorarium munus obit, jusque ſine ſtipendio aliquamdiu profitetur, ſed non ſine honore, quin eo, qui in hac Academia ſolet eſſe ampliſſimus exornatur, remque publicam literariam tanta prudentia regit, ut paulò poſt Rectoratum alterum caperet. Fidem faciunt Faſti noſtri, & publica fama, quæ laſu temporum, integra fide, ad noſtram usque ætatem pervolavit, pluresque etiamnum teſtes oculati deponant, ſub

ejus

ejus imperio non florentiſſimum tantum Univerſitatis ſtatum fuiſſe, ſed etiam tunc maximè, ſi unquam alias, vera propriaque ſua majeſtate conſtitiſſe. Omnes itaque boni cum publico docendi officio præfici inſtabant: ſed dum ſtudia in contraria Concilium diſtrahitur (O fortem virtuti ſemper invidam) abit indonatus, miſeratur & indignatur repulſam ipſemet Senatus, ille virtute ſua ſeſe involvit imperterritus, nec enim ipſius virtus repulſam pati poterat, quæ ſibi merces pulcherrima, nulla publica commendatione indigebat. Meminerat etiam non dubito vir Polyhiſtor, Campi Martii repræſentata ſibi penes oculos conditione, parum proſperos Comitiorum eventus meritiſſimis de Rep: Principibus plerumque contigiſſe. Igitur propoſitis Sapientiſſimorum Clariſſimorumque virorum repulſis, in conſtantiam animum jam à multis annis induraverat, ſciens pleraque cum patientia exſpectari debere, quæ gratia & emendicato ſtudio impetrari non poſſent. Obverſabatur illius animo Scipio Naſica non minus ædilitatis curulis repulſa fortiter tolerata glorioſus, quam eadem poſtmodum obtenta ſenatorioque munere memorandus. Occurrebat L. Æmilius Paulus aliquoties Conſulatus petitione fruſtratus, poſt aliquod tempus communibus populi Romani ſuffragiis eodem exornatus. Præ omnibus illi præſertim affulgebat conſtantiæ virtutisque melioris facilè princeps Cato vel hoc ſolo elogio apud ſuos totamque poſteritatem commendatiſſimus, quod honores & dignitates Catoni nunquam, honoribus verò dignitatibusque ſæpe Cato negatus eſſet. His aliisque id genus exemplis clariſſimorum virorum, quibus familiariſſimè utebatur, ita animum obfirmaverat, ut quoties honorem peteret, eodem ſe fruſtrari poſſe non ignoraret. At verò ne juſto dolore ab hac Academia diſceſſum cogitaret, deſtinatur à magiſtratu nobilis & generoſus dominus van Schore, nunc temporis civitatis Princeps, & Penſionarius Wylems, qui certiſſima ſpe primum vacaturæ lectionis erigerent, confirmarent, retinerent. Et hac ſpe non mediocriter recreatus, lectionem Regiam, qua continuo functus fuerat, quietiori quidem animo, ſed non minori quàm antea laude exercet. (6) Imò vacat paulo poſt urbana lectio, fidem non fallit optimus ſapientiſſimusque Senatus, ſed Conſulis, Tribuniplebis, Senatorumque & Decurionum ſuffragiis ei defertur.

(6) *In Profeſſorem Regium aſſumitur an.* 1582.

Digitized by Google

(7) Cumque pluribus annis, inter incerta vitæ totius conſtituendæ vota dubius fluctuaſſet (quæ ſors ſumma ferè ingenia ſub ineuntis virilis ætatis ingreſſum verſare ſolet,) tandem in hoc pulcherrimo Brabantiæ meditullio domicilium deſtinat figitque. Muſarumque otia præ clamoribus fori Curiarumque jurgiis amplectitur, ſolidam veramque quietem in una ſapientia collocaturus. (8) Verum enim vero ſubit, ut aſſolet, illi ob animum nepotum poſteritatisque cura, quæ deſideria plerumque noſtra in longa diſſitaque transmittit. Itaque de uxore cogitare cœpit, quæ rei domeſticæ curam gereret, & in otii negotiique perinde atque in thalami partem veniret. Deſtinantur illi complures, & grandi dote ultro citroque invitatur. Verum hic nec ullam prudentiæ ſuæ partem neglexit. Bene natam ſcitè moratam abundè nummatam, ſed quæ virtute præ cæteris fortunæ bonis, præemineret pueriſque beata creandis eſſet, maturo ſibi judicio ſociavit. (9) Celeberrima eſt jam ab hinc multis annis van der Steghen familia, ſed recentiſſima adduci hodie Nicolai nobiliſſimi ampliſſimique viri toto hoc Belgio memoria vivit. Hic præter innata generi ſuo ſtemmata & majorum imagines juris legumque ſtudio ſuis temporibus ita claruit, ut Conſiliarius ordinarius Regis Hiſpaniarum, in antiquiſſimum ampliſſimumque Brabantiæ conſilium à Domina Parmenſi tunc Belgicarum ditionum Gubernatrice, conſcriberetur: illo, illo parente ortus eſt (quem hic præſentem & mœrentem conſpicio) generoſus dominus Joannes van der Stegen, ratiociniorum Archiducalium Præfectura in urbe Bruxellenſi ordinariè fungens. Illo, illo & ſata eſt magni noſtro Gudelini uxor, paternæ virtutis, non minus quam bonorum heres, quæ & liberos non tantum illi procreavit, ſed ut ſui ſimiles eſſent ſtudio verè materno educavit, efformavit. In hoc præſertim optimam illa matrem ſuam æmulata Margareta Sterk filiam D. Henrici, ordinis aurei velleris Theſaurarii, ærariique Imperatoris Caroli Quinti Quæſtoris generalis. At neque generis claritatem in Petro Gudelino deſideres: nam præterquam quod genus ſuum doctorali laurea, virtutumque omnium, quibus claruit ſplendore & æter-

(7) *I. V. Doctor creatur anno* 1583. 23. *Septembr.*

(8) *Lectio ordinaria ei confertur* 27. *Iul.* 1590.

(9) *Liberos* 7. *genuit, quos moriens ſuperſtites reliquit, filios* 3. *filias* 4.

Digitized by Google

æternis doctrinæ ſuæ relictis monumentis illuſtrius fecerit, patrem majoresque ſuos non raro in ampliſſimo Athenſis oppidi ſenatu ſeptemviros habuit, qui honos ibidem maximus. Parente verò optima Anna Buyſſet celeberrimi ibidem nominis & familiæ absque invidia gloriari poteſt. Teſtis eſt Mechlinia, quæ & hujus nominis ſplendorem adſpexit in Jacobo Buyſſet, famoſo Juriſconſulto, qui ibidem ſupremi ſenatus Belgici Secretarius & Actuarius Gudelinum cognatum felicibus auſpiciis, ea potiſſimum quæ ad praxin, & exercitationes forenſes pertinebant, erudivit. Sed hæc generis aviti ſtemmata longaque ſuorum proſapia derivatum propagatumque ſanguinem ſemper præ una virtute minimi æſtimavit, nullumque una virtute locupletius anguſtiusque patrocinium à parentibus liberis poſſe relinqui vere ſapienterque judicavit. Itaque ab illa externa pompa ad ea, quæ virtuti propria ſunt orationem demitto. Omittam tamen, ne longior ſim, ſubtiliſſimas ejus inſtituta elucidationes. Prætereibo acutiſſimas vereque Papinianæas ad digeſta reſponſiones, notas & ſcholia ad decretales. Nihil dicam de ſyntagmate regularum juris, præclaro certè & locupleti juris utriusque theſauro, in quem quicquid ferè in univerſa Jurisprudentia rarum eſt, prudentiſſimè congeſſit. Quid porro dicam de divinis illis ad feuda commentariis? Quid de jure noviſſimo, quod non tantum ipſius antiquitatis interpretatione elucidavit: ſed variarum etiam conſuetudinum, quarum peritiſſimus erat, diſputatione praxique, & hodiernis judiciorum formulis miro labore, ſed non minus obſtupeſcenda ingenii ſui ſubtilitate illuſtravit? Annon quod de Tiraquello ſuo ſatis ambitioſe jactat Gallia, pari jure de ſuo Gudelino poſſet Belgica, magnum nempe dubitationis certamen eſſe, pluriumne liberorum an librorum parens exſiſtat? Unde magna ſanè, Gudeline, fama tua poſthuma erit, & quia tam ſtabili virtutis probitatisque fundamento ſuſtentatur, nulla invidiæ vi, nulla temporum injuria collabetur. Annabit illa perennabitque doctiſſimorum tuorum librorum programmate quaſi perpetuum duraturo marmore cælata. At illi per diverſos terrarum tractus æterna Juriſconſultorum voce animabuntur, erit illis famoſiſſimum in ſcholis pulpitisque nomen, pondus & authoritas in ſubſelliis judicum & curiis. Illos

Non imber edax, non aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Digitized by Google

Itaque quod Melpomenæ ſuæ gratulabundus accinit Horatius, id tu Aſtrææ tuæ grato memorique verſu applaudas.

Non omnis moriar, multaque pars mihi
Vitabit Libitinam, usque ego poſtera
Creſcam laude recens.

Erunt, erunt perennia ingenii tui monimenta, Pyramidum ſitu altiora, fortunæ imperio majora. Vivent, inquam, libri tui, ſed & vivent liberi tui probi illi & morati & docti, & veſtigia paterna, qua virtute, qua probitate duce proſequentur, tu in eorum vives imagine, qui tuam repræſentant, Vivent & libri tui, & in illis quaſi in pictura loquente nunquam contices. Et ecce, veluti fœtus vivente re animati, cerebroque tuo velut altera Minerva producti, obſtetricante, ut ſic dicam, liberorum tuorum Philippi & Petri Pauli Jurisconſultorum manu propitiam Lucinam videbitur, lucem, inquam, & doctiſſimorum virorum manibus contrectabuntur, avide curioſeque demulcebuntur. Sed quo me abſtulit affectus? pæne obſitus eram, quod ſupra admirationem inter nos eſſe ſolet, prout ſeſe nunc res humanæ habent. Cùm almæ Univerſitatis conſervatori è conſiliis aſſideret, eandemque fortiſſimè defenderet, ſapientiſſimè, conſervaret, itaque jus diceret, ut nunquam vel admodum raró ejus ſententiæ retractarentur, cum, inquam, ejus doctrina ubivis terrarum adeo nota eſſet, tantoque in pretio, ut in Univerſitatibus celebrioribus, conſiliiſque ejus authoritas allata plurimum valeret, ad ſupremum curiæ Mechlinienſis ſenatum nominatione iterata ultrò poſtulatur. (10) Quid putatis? quod candidatus aut huic aut illi, ut more receptum eſt, manum adierit? huic & illi oſcula jecerit, Abunde virtuti factum putabat, quod poſtularetur; memor erat Comici:

Virtute ambire oportet non favitoribus,
Sat fautorum habet, ſemper qui rectè facit.

Quid poſtea? eidem ab Illuſtriſſimo Duce Arſchotano non ſemel ad curiam Montenſem janua aperta eſt, non ſemel, inquam, (id permitte mihi ex ore tuo dicere, clariſſime vir Fiene facilè Belgii noſtri Architriatre, & Univerſitatis noſtræ ingens decus & lumen) qui fide ab excellentiſſimo illo Arſchotano accepta, iteratis vicibus Gudelinum in ſupremum illum Hannoniæ ſenatum incitaſti. In Juriſpruden-

(10) *Fit Aſſeſſor anno* 1594.

Digitized by Google

prudentia philoſophari maluit, quam libertatem & otium literarum vendere, & auream, ut ajunt, ſervitutem ſervire. (11) Ratum hoc exemplum, Auditores, dum peſſimis ea in re moribus hodierno die paſſim peccatur.

Hinc, hinc intellige, O Academia, qualem virum amiſeris, illuſtriſſimum nimirum doctrinæ ſidus, integerrimum virtutis probitatisque ornamentum, religionis avitæ acerrimum propugnatorem, fidei omnisque conſtantiæ verum Achillem, cujus in animo non levibus notis virtutes impreſſæ, ſed inſculptæ omnino & ſolidæ, in pectore præter multarum ſcientiarum theſauros, leges juraque prorſus omnia concluſa; in toto denique corpore vere virilis gravitas, morumque aureorum gratia longè lateque diſperſa eminebant. Non igitur immeritò hodiernarũ ſcholarum juſtitiam, lugubres cantus, ſepulchrales iſtæ faces, atrati parietes atque aræ omnibus oculorum aciem obturbant. Non unius familiæ jactura hæc eſt, Auditores, optimo parente orbata Univerſitas eſt, ſubtiliſſimo Doctore Juſtinianæa pulpita, Interprete acutiſſimo ſtudioſa juventus, ego verò Profeſſore & Patrono.

EPIGRAMMA

In Celeberrimi JCti.

PETRI GUDELINI

Nomen.

Te, GUDELINE, BONUM *dici* LINUM *eſſe videmus*,
Ex ſcriptis, MAGNUS LINUS *ut eſſe queas*.

In Ejusdem Effigiem.

Plena animo facies: animus Sophiaque Themique:
In picto vivus corpore ſermo viget.
Scripta Viri Sophiamque ſtilo, Themidemque loquuntur:
In ſcriptis dicas Numen utrumque loqui.

E. PUTEANUS.

(11) *Publicus Iuris Profeſſor extitit annis* 37. *Aſſeſſor conſervatoris annis* 25. *Obiit anno Domini* 1619. 18. *Octobr. ætatis ſuæ* 70.

EPITAPHIUM.

D. O. M.

PETRUS GUDELINUS H. S. E.
INSIGNI APUD ATHENSES LOCO NATUS
INGENIO, DOCTRINA, MODESTIA,
INTER JURISCONSULTOS ÆVI, SUI EXCELLENS,
OMNES HAUSIT ARTES, UT UNAM, SCIRET,
QVAM ANNOS XXXVII, PUBLICE DOCUIT,
ET RESPONDENDO CONTINUO ASSERUIT;
JUSTE VIVERE, ALTERUM NON LÆDERE,
SUUM CUIQUE TRIBUERE.
FECIT QVÆ DOCUIT, QVÆ ASSERUIT: ET
SIC ANN. XXV.
CONSERVATORIS PRIVILEG. ASSESSOR FUIT.
VOTO TRANQVILLUS, FAMILIA FELIX.
VIVENDO CONSECUTUS EST, NE INVITUS
MORERETUR,
OBIIT XV. KAL. NOVEMB. cIↃ IↃC XIX.
VIXIT ANN. LXIX. MENS. IX, DIES X.
MARIA VANDER STEGHEN, UXOR, ET SEPTEM
LIBERI,
ILLA MARITO, HI PARENTI OPTIMO
MOESTISSIMI
P. P.

SCRIPTA.

Commentarius de jure Feudorum in IV. partes diſtributus: *Lovaniæ* 1624. 1641. in 4. *Coloniæ* 1663. in 8.
Reſponſiones ad digeſta: *ibid.* in 4.
Comment. de jure Pacis: *Lovaniæ* 1640. in 4. *Coloniæ* 1663. in 8. *Lugd. Batav.* 1648. in 12.
Syntagma Regularum juris utriusque: *Antverpiæ* 1646. in fol.
Notæ & Scholia ad Decretales: *ibid.*
Commentarius de jure noviſſimo: *Arnhemii* 1638. 1643. 1661. in 4. *Antverp.* 1644. in fol. *Francof.* 1668. in 8.
De Teſtamentis Commentarius: *Lovaniæ* 1653. in 8.
Elucidationes ad Inſtituta &c.

PAREN-

Digitized by Google

PARENTATIO

In honorem & memoriam

VIRI

Magnifici, Ampliſſ. & Præcellentiſſimi,

D. LEOPOLDI HACKELMANNI

JCti celeberrimi, Academiæ Lipſienſis Profeſſoris & Ordinarii, Curiæ ſupremæ Provincialis Adſeſſoris, Eccleſiæ Cathedralis Martispurgenſis Canonici, & Academiæ prædictæ Septemviri &c.

Publicè habita

in

Academiâ JENENSI,

à

BALTHASARE GUALTHERO

S. Lingg. Prof. pub.

QVod apud Principem Lyricorum inter Græcos, P. C. tuque Studioſorum flos lectiſſime, quod, inquam, apud Principem Lyricorum inter Græcos Adraſtus Telaionides de Vate Oideide Amphiarao, & Lyricus Thebanus ipſe, de Ageſiâ Syracuſanô egregiô illô in Olympiis hymnô conqueritur: ποθέω στρατιᾶς - - ὀφθαλμὸν ἐμᾶς, ἀμφότερον μάντιν τ' ἀγαθὸν - - καὶ δουρὶ μάρνασθαι: h. e. *Deſidero exercitus oculum mei utrumq; vatemq; bonum & ad pugnandum haſtâ*. Idipſum hâc turbulentâ univerſi orbis tempeſtate, ubi omnia in pejus ruunt, Bellonam & arma omnes ferè anguli ſpirant, & magnarum Rerump. ſive converſiones dicam, ſive everſiones, noſtrâ in Germaniâ lævis quidem, ſed non vanis, auguriis imminere videntur; nos rectiùs tralatitium facere, & noſtras ad Academias transferre poſſumus; ſi paulò altius nobiſcum recogitaverimus, non ita pridem anno ad metam properante *Virgilium Pingitzerum*, Collegii Juridici Ordinar. Magnif. Decretaliũ interpretem graviſſimũ, Curiæ Provincialis Adſeſſorem primarium, JCtum ſeptuagenarium, & unum non è multis ex hâc ſtatione militari

evocatum, exercitum noſtrum reliquiſſe, totamque Provinciam expertiſſimô belli Duce orbatam fuiſſe. Sive enim Vatem bonum reſpicimus, quô nomine veteres civilem prudentiam inprimis innuebant, ſive armorum tractationem ſollertem attendimus, quæ in Duce animi potiùs quàm corporis robur requirit; vobis omnibus, qui illum propius noviſtis, clàm eſſe non poteſt, quæ inſignis prudentia multiplici rerum uſu ac eventu comprobata, quæ infracta animi magnitudo, tot rebus adverſis explorata, quæ conſtans denique pro exercitu & Reipubl. noſtræ Cura, tot annorum excubiis & vigiliis continuata, in hôc noſtrô PINGITZERO tanquam Duce veteranô, ab utraque parte reluxerit. Et hæc omnia Academia noſtra ſermone & querimoniâ luctuoſâ conteſtata eſt publicè, & cladem ſuam acerbè deploravit. Idque gravius ei accidit, cum paucis retrò menſibus HILLIGERUM ſuum, virum ad invidiam usque ad ardua penetrantem amiſerit, vel potius ætate floridum, viro ætate grandi confectò, viciſſitudine naturæ inimicâ præmiſerit. Sed hæc vulnera, quæ felici Colleg. ſucceſſione coire incipiunt, refricare animus jam non eſt. Academia Gieſſena paucos ante annos Ordinarium & caput Facultat. Juridicæ magnum illum GOTHOFREDUM ANTONI amiſit: vicina Academia Lipſienſis recenti luctu itidem Ordinarium ſuum LEOPOLDUM HACKELMANNUM præclariſſimum Reipub. Ducem deplorat, & jure meritô hôc ſtatu omnium rerum periculoſô de utroque oculô graviſſimè dolet. Tacitus jam prætereo alios in Repub. ſpeculâ conſtitutos Duces emeritos, quos longiſſimus rerum uſus & experientia ad faſtigium evexit, nuperô (ſed heu intempeſtivô!) fatô in ipsâ ſtatione ſuâ occubuiſſe. Parvi ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi, præclarè dixit Cicero. Et Alphonſus interrogatus, plusnè libris quàm armis deberet: Ex libris, inquit, & arma didici, & armorum jura. Si igitur Gentiles ſuos belli Duces tàm graviter luxerunt; quid dicemus, Auditores, de noſtris hujus militiæ togatæ Ducibus, quos nomen tàm clarum obtinere audiviſtis?

Faciam igitur quod mecum conſtitui bonô adfectu, & vobis etiam, præclariſſimi viri res geſtas & vitæ periodum ob oculos ponam, & ἐπὶ κτέρεα κτερεΐξω, quod ait Homerus; viri nempè, qui olim tanquam Acad. hujus JCtus celeberrimus, de juventute atque adeò de omni Repub. optimè

mè meritus fuit. Atque ut rationes inſtituti mei, quas me cum jam reputo, prolixas non adferam, ſed ad rem ipſam pedem rectâ conferam ; à vobis P. C. & Auditores lectiſſimi, eâ quâ par eſt obſervantiâ & humanitate contendo, ut ſpatii breviuſculi uſuram mihi largiri, & animum benevolum & aures vacivas mihi indulgere ne dedignemini.

Atque ut à Patria hæc noſtra Oratio incrementi ſui auſpicium ſumat, natus eſt noſter ὁ μακαρίτης Anno Meſſiæ noſtri cIↃ IↃ LXIII. STADÆ, populoſô Archiepiſcopatus Bremenſis emporiô, cujus mercimonia Albis fluvius navigandi commoditate multis ab annis non parùm auxit. Geographi de mediis & temperatis orbis regionibus ex Phyſicorum Scholis ad illuſtrandum loci ingenium multa ſubindè depromunt, ut quæ ad corporum temperamenta ſalubria, & ingeniorum acumen ſubtile plurimum conferre ſolent. Neque id ſine omni ratione. Quibus enim aër purior & lucidior, illis etiam cum Athenienſib. melior luna, quàm aliis qui cum Corinthiis cœlô craſſiori utuntur. Verùm, locis illiusmodi non adeò temperatis, quæ, prout eſt noſtra in hâc vitâ metatio verſiformis, quod ait Tertull. modò hujus, modò illius regionis & incolas & parentes hoſpitiô excipiunt, naturæ bonitatem in tantum adimere velle ; ut vel ex unius vel alterius ingeniô agreſti, aut moribus invenuſtis, totam Provinciam aut regionem æſtimare velis, id verò tàm abnorme eſt, & ab omni ratione alienum, ut non immeritò ſuæ προπετείας pœnituerit tandem virum magnum, qui ex itinere per inferiorem Saxoniam & Weſtphaliam opinionem illam ſiniſtram in Belgium imprudens ſecum attulerat. Cum enim nullâ in urbe, ne dicam Provinciâ, omnes ſint ſani, & bonâ valetudine conſtituti, plerumque fit, ut quidam homines calidô cœlô, quidam frigidò melius aut deterius valeant : bile abundantes, hyeme, pituitâ, æſtate proſperius degant : adeoque parùm quandoque referat, an quis *Colchus, an Aſſyrius, Thebis nutritus an Argis.*

Hæc verò HACKELMANNI noſtri Patria, & viciniæ diſtrictus, ſicut fertilitate ſoli, & fluvii amœnitate paucis cedit : ita hactenus viris in omni doctrinarum genere claris, in primis verò egregiis quibusdam Jurisprudentiæ Antiſtitibus auram vitalem, quam Poëta ſcitè dixit, primùm conceſſit. Et hîc ſilentio præterire non poſſum SAMUELEM GOECHUSIUM, Aulæ Saxo-Vinarienſis Vice-Cancellarium, virum,

Digitized by Google

Seu linguam cauſis acuit, ſeu civica jura
Reſpondere parat, - - -

ſollertiſſimum; quemque ob egregia animi dona, pietatem in Religione, propoſitum in rectè agendô, & ſolidam eruditionem unà cum humanitate ſingulari conjunctam, & Princeps & tota provincia ultrà duodecennium in oculis habet, & veneratur; qui & ipſe ortum ſuum ad hunc Archiepiſcopatus diſtrictum refert. Sed ad geneſin piè defuncti redeundum eſt. Hanc verò quis indè minus felicem aut auſpicatam dicat, cum longam avorum, abavorum, atavorum tritavorumque ſeriem numerare, majorum ſuorum vetuſtas imagines, & nomina multis ſtemmatum illigata flexuris, oſtendere nequiverit; quæ paradigmata multis hôc tempore majori in preciô habentur, quam ipſa virtutum facinora. Verùm hæc ſchemata ſi penitius excuſſeris; annon jure meritô cum Satyricô exclamaveris?

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt Pontice longo
Sanguine cenſeri, pictosque oſtendere vultus
Majorum? & ſtantes in curribus Æmilianos?
Tota licet veteres exornent undique Ceræ
Atria; nobilitas ſola eſt, atque unica Virtus.

Et quid prodeſt ei, inquit aurea Eccleſiæ Græcæ Suada Chryſoſtomus; quem ſordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant: Ipſe enim ſe vacuum ab omnibus bonis oſtendit, qui gloriatur in parentibus. Stannum de argentô egreditur, ſed non eſt argentum. Itaque argentum colatum ſervatur: Stannum autem foràs expellitur. Melius eſt de obſcurô genere fieri, quàm de clarô genere obſcurum naſci. Qui enim de clarô genere clarus naſcitur, gloria claritudinis non eſt ejus ſolius, ſed communis videtur. Qui autem de obſcurô genere clarus egreditur, tota gloria claritatis ejùs ſolius eſt. Ideò melius eſt, ut in te glorientur Parentes, quàm tu in Parentibus glorieris Quanquam ſi piè defuncti ortum accuratiùs perluſtremus, facilè inveniamus, quæ familiam ab integritate, quæ proſapiam ab honeſtate, addo & antiquitate, commendare poſſint. Parentem enim habuit virum, prudentiâ & vitæ integritate ſpectatiſſimum JOHANNEM HACKELMANNUM, Civem & Mercatorem nominatæ urbis primarium: Matrem verò GERTRUDAM, oriundam ex ampliſſima Patritiorum Schenenſium STADÆ familiâ.

Digitized by Google

Ab hiſce ſuis Parentibus poſtquam ἐυγενείας ϗ καλογαθείας ſemina accepiſſet, tempusque inſtaret, ubi, *udum & molle lutum eſt*, ac juxta Perſii monitum,

> *Nunc nunc properandus, & acri*
> *Fingendus ſine fine rotâ*,

ea, poſtquàm Patriæ Scholæ traditus fuiſſet, herbeſcentem Chriſtianæ Doctrinæ & Literarum viriditatem maturè protulerunt; adeò ut de fruge ſpes eſſet ôptima. Studia enim in adoleſcentiâ, quod ait Orator, tanquàm in herbis ſignificant; quæ virtutis maturitas, & quænam fruges induſtriæ ſint futuræ.

Lunæburgum dehinc miſſus, diſciplinæ LUCÆ LOSSII diligentiſſimi Præceptoris traditus fuit; ubi ea, quæ domi prominuêre, magisque ad maturitatem pervenire viſa ſunt. Tale, ſiquidem literarum primordiis conciliavit incrementum, tale in artium diſciplinis fundamentum ibi jecit, ut honorificô teſtimoniô ornatus, Anno ætatis ſuæ XXI. ad publicam ἀκρόασιν bonâ cum gratiâ dimiſſus fuerit. Quippè tùm ſeriò malum Homeri præſagium in Odyſſ. à ſe amoliri incipiebat:

> Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται
> Οἱ πλέονες κακίοις. παῦροι ᾗ τε πατρὸς ἀρείοις.
>
> *Pauci filii ſimiles patri ſunt, plerique pejores: pauci patre meliores.*

Academia verò in quam primùm conceſſit, Helmſtadium fuit, non ità pridem à JULIO Duce Brunſvicenſi, undè & Juliæ nomen accepit, magnificè extructa: quam ingreſſus non ſibiipſi mutus Magiſter fuit, quod veteres peſſimum putabant, ſed auſcultationem cum Ariſtide, qui ex loquentis Socratis intuitu ſe miram utilitatem percepiſſe apud Platonem refert, meritò magnipendebat; utpotè quæ ex Philoſophi mente, cumprimis πρὸς νοῦν ϗ φρόνησιν deducit, & aureô Senecæ monitô ad Lucilium adſtipuletur; *Plus tibi viva vox proderit*. Undè cùm ex ſententia Ageſilai & Ariſtippi ea ex Scholis ſecum aſportâſſet, quæ viro & Seni uſui quondam futura, & quorum utilitas non tàm in principiis, quàm poſt principia ſeſe exerere ſolet; in humanioribus diſciplinis longè feliciores progreſſus fecit, quàm illi, qui cùm ne quidem inter apia fuère, alioquin à naturâ non-mali, Muſarum & Apollinis hortos protervè invadunt. ſepes procaciter perrumpunt, fragrantiores floſculos temerè proculcant, ſuæque pro-

proterviæ nullum aliud præmium reportant, quàm ut ſuâ & ſuorum cum ignominiâ, & inſigni incommodô aliorum, quos exemplô ſuô abarcent, inſtar empuſæ habeantur, aut Priapi vicem ſuſtinere cogantur. Tanti momenti in prævià moderatione ſitum eſt, priusquam liberiori auræ adoleſcens ſe committat. Terra quò melior eſt naturâ, hoc magis corrumpitur, ſi negligatur: ità ingenia, niſi rectè excolantur, quò ſunt feliciora, eò pluribus vitiis poſteà obducuntur. Helmæſtadiô Lipſiam ſe contulit, Lipſiâ paulò poſt Jenam: Anno videlicet Chriſti CIↃ IↃ LXXXVII. tempore vernô: inque his quoque Academiis viam ad honoris & dignitatis apicem ſedulò paravit; non neſcius, quod ait Seneca: *Facilius dignitatem creſcere quàm incipere.* Undè ut difficultates oborituras eò faciliùs ſuperaret, tacitô quodam naturæ inſtinctu inflammatus, Theocriticum illud ſæpè animô circumferebat:

Αὐτὰρ ἐγὼ τιμήν τε καὶ ἀνθρώπων φιλότητα
Πολλῶν ἡμιόνων τε καὶ ἵππων πρόσθεν ἑλοίμαν.

Et ubi deſiiſſet Ethices & Politices Studioſus, Jurisprudentiæ alumnus incœpit alacriter, perrexit impigrè, maſculè totum curſum peregit; præſertim cum natura ingenio vires indulſiſſet, ſollersque informatio animum ità obfirmaſſet, ut ipſi in proclivi eſſet *σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρας κινεῖσθαι*, ſociamque Minervæ adjungere dextram.

Duo ſunt ordines Sapientum, ait Philoſophus Scaliger, unus eorum fuit, qui Reſpublicas conſtituerint, Legibus communiverint: alter eorum eſt, qui procul à civili turba ſibi ac cœlô vixerunt, deſpectâ terrâ Horum principia doctrinæ quantum ſibi uſui fore proſpiciebat HACKELMANNUS noſter, prælibabat; illorum verò fundamenta diligentiùs inquirebat, Jurisque & æquitatis originem penitiùs ſcrutabatur, priusquam ſpacioſa illa Juris volumina contrectaret. Longè rectiùs, quomodo ego quidem de hoc ſtudiorum genere exiſtimo, ac iſti aiilocutii & rabulæ, qui rerum momenta non mente tenent, ſed dente, malè corde conſultant, benè linguâ loquuntur, forumque nugis ſuis ità occupant, ut, quod ait Comicus, citius à foro

Abeant, quàm in curſu rotula circumvertitur:

quamvis plerique frontem detritam habeant, & non niſi inſigniter depuduerint. Horum à moribus alieniſſimus noſter LL. cultor, non tantùm Paragraphos & Leges, ſed & apices legum inveſtigabat; quæque probè cognita habebat, ſubin-

ſubindè unà cum aliis diſputationum ventilabrô committebat, vile à pretioſò, & paleas à granis ſeparaturus. Occaſio lucidiſſima ipſi tùm temporis affulgebat, ſuos profectus indies augere, quæſitis aliquid ſuperaddere, & præclariſſimorum JCtorum, qui id temporis hôc loco vigebant, reſponſa audire, Judiciaque tùm diſputandô tùm colloquendô exquirere: quibus ſi & ipſe in præſentiâ ſatisfacere non poterat, tamen multæ ei ad ſatisfaciendum reliquò tempore facultates dabantur. Inde adeò flagrare cœpit diſcendi ardore, ſic inflammatus ferri deſideriô, ut eum non labor, non lucubratio, non ſudor, non moleſtia, non rerum diverſitas aut multitudo à cupiditate revocaret: ſed animum conſiliô ac ratione firmatum, pelliciebant iis omnibus ſtudiis Doctores, quibus ingenia illa capi ac deliniri poſſunt. Appion ille, falsò polyhiſtor dictus, cum Homerum magnô molimine ab inferis evocâſſet, nihil eum interrogavit, niſi, *unde domo?* Noſter verò, verè polymathes, in hâc occaſione præclarâ diſcendi, non futilia conſectatus eſt, ſed ea, quæ conatibus ſuis reſponderet, animumque hiantem, utilitate ſuâ replerent. Jucunda eſt hæc *συνομηλία*, & dici non poteſt, quàm frugifera iis, qui non Scholæ, ſed Reipublicæ diſcere, non ſibi & ſuis Muſis canere, ſed univerſo Apollinis choragio ſuccinere cupiunt.

Et quemadmodum gemmarum lapidumque arcanæ vires, non niſi attritu & experiendo apparent: ſic vera eruditio, quæ interiori animô inſita, torasque non ſpectat aut pendet, hujusmodi ſermonum conflictu elicitur, eliciendo augeſcit, augeſcendo in apricum ſtatuitur. Hic Themidos cultor ſtrenuus cum hâc viâ, Ampliſſimo JCtorum Ordini plenius innotuiſſet, ſibique eximiam doctrinæ legalis ſupellectilem comparâſſet, ſupremos in Jure honores & titulum ambire cœpit, & præmium quoddam laborum quærere. Vidiſſes hîc nutum Altiſſimi, & bonorum affluentiam luculenter animadvertiſſes. Cùm enim vix pedem à delubrô honoris abeſſet, ecce auſpiciis divinis, pronubâ Themide, conjugium paciſcitur! MARGARETHÆ, viduæ HEINRICI SCHNEIDEWINI, cum quô pauculos menſes vixerat, fœminæ quà animi, quà corporis, quà fortunæ dotes ornatiſſimæ, fidem promittit. Et factum eſt, cum Themis ſuas itidem urgeret operas, & tàm progymnaſmate quàm gymnaſmate ipsô, Ordini JCtorum ſuam induſtriam ſufficienter probaſſet, ut ei Anno cIↄ Iↄ XIC. Die Menſis

Septem-

Septembris XXIII. inſignia Doctoralia omnium bonorum ἐπισημασίᾳ & applauſu publicè conferrentur, & die ſolenni eôdem, ſocia vitæ anteà delecta ritu Chriſtiano nuptum daretur. Verùm hîc eſſe deprehendimus ſuaviſſimum, quem Flaccus vocat, Dircæi cygni, melos in Olympiis:

- Τιμῶντες δ' ἀρετὰς
εἰς φανερὰν ὁδὸν ἔρχονται.

Et quod ipſe hinc tralatitium feciſſe videtur:

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus.

Quemadmodum verò aurea illa Themis animum corque ipſum Doctoris ex aſſe effinxerat, adeò ut nihil jucundius ſibi exiſtimaret nil præſtabilius fore, quam ſi huic adhæreret unicè, virtutes explicaret commodè, nomenque & titulum ſtrenuè tutaretur:ità hæc ipſa thori ſocia, à matre, viduâ FRIDERICI PENSOLDI quondam Profeſſoris Phyſices in hâc Academiâ ſollertiſſimi, quæ filias ſuas, quas tres habebat, in pietate, prudentiâ rei familiaris gerendæ aliisque virtutibus virginitatem condecentibus, ſollicitè informavit, ità edocta fuit, ut ipſe ſine ullâ negotiorum adſcititiorum remorâ & ſua agere & optatis ex ſententiâ frui poſſet. Hanc quippè laudem felicis educationis Matronæ PENSOLDINÆ, tùnc quaſi proprium fuiſſe, omnes nôrunt, quibus conſtat reliquas filias utpote hujus ſorores germanas itidem Viris Ampliſſ. & Conſultiſſ. Doctôri JOHANNI WEXIO, quondam Aulæ Aldenburgo-Saxonicæ Cancellario p. m. & Doctori JULIO ARMB, Curiæ Provincialis Saxonicæ nobiscum Advocato dexterrimo in matrimonium locatas fuiſſe, ſuæque virtutis laudem apud optimos quosque poſt mortem reliquiſſe, utpotè fœminas examuſſim optimas, quod Soſia Plaudinus ad Amphitruonem de Alcmenâ (& nos de harum quâlibet) ſic loquente refert:

Non ego mihi dotem duco eſſe, quæ dos dicitur:
Sed pudicitiam & pudorem & ſedatum cupidinem,
Deum metum, parentum amorem, & cognatum concordiam,
Tibi morigera, atque ut munifica ſim bonis, proſim probis.

Sed ad HACKELMANNUM noſtrum redeamus, quem uxor dilectiſſima, cum quâ annos ad viginti duos concorditer tranſegit, ſex liberorum parentem fecit; ex quibus binæ fœmellæ virgines ſuperſunt, & unus adhuc filius

JO-

Digitized by Google

JOHAN-HENRICUS, quem paternarum virtutum hæredem & æmulum futurum probo indicio auguramur. Ad hoc igitur honoris faſtigium evectus vir clariſſimus, fidem quam Themidi dediſſet, egregiè præſtitit, & operâ quam Reipublicæ addixiſſet, gnaviter functus eſt. Lectionibus enim privatis & diſputationibus juventutem exercere, & publicas Profeſſorum operas ſuis ſublevare unicè allaboravit. Quam ingenii dexteritatem unâ cum ſedulitate conjunctam cum ii perſpicerent, Illuſtriſſ. Saxoniæ Ducibus Academiæ hujus Patronis benigniſſimis eundem de notâ optimâ commendarunt, & ut Profeſſor Juris extra ordinem reciperetur, literis Collegii impetrarunt; id quod factum Anno cIↃ Ic XIVC. Hanc ſpartam ſine exemplô tunc ipſi commiſſam, ut benè ornaret, non ſolùm Digeſtorum interpretationem, quam magnus ille LIBERIUS HOFFMANNUS anteà ſuſtinuerat, pertexere cœpit; ſed etiam publicis diſputationibus Academiæ eam navavit operam, quæ non niſi ingenium ſubactum, memoriam promtam, & virium contentionem ſummam requirebat. Namque Jus Feudale, quod Menſe Decembri anni hujus inchoarat, Menſe Junio Anni ſequentis diſputando abſolvit. Et cum Jus Civile integrum anteà ſub diſputationes publicas revocare cœpiſſet, Menſe Auguſto Anni jam dicti has quoque ad umbilicum perduxit. Quo labore confecto quieſcendum ſibi non putavit, ſed ſtatim interruptâ ſerie Menſe ſequenti ad Jus Canonicum acceſſit, in diſputationum formam redegit, & anno ſubſequenti nonageſimo ſexto XXIIX. Aprilis his publicis exercitiis quoque ultimam manum impoſuit. Quem ſtudii ſui curſum intra biennii ſpacium, aut præter propter, confecit; & poſteà Quæſtiones illuſtres, juxta ſeriem univerſi juris tàm Civilis & Saxonici, quàm Canonici digeſtas certis diſputationibus repetitionis loco ſubjecit; quas non ità pridem in publica palœſtra Conſultiſſimi RIEMERI noſtri opera, induſtrii quidam Jurium Lytæ & Candidati diſputando evolverunt.

Hæc fuerunt, Auditores, HACKELMANNI noſtri gymnaſmata in Schola peracta; ita tamen comparata, ut Auditores non ſibi relinquerent, ſed proveherent, viam ad Reipublicæ uſum non intercinderent, ſed recluderent, & quæ olim foro accommoda, maturè exhiberent. Hiſce verò lucubrationibus ſuis indefeſſis, poſt mortem D. DANIELIS EULENBECCII p. m. cui in Profeſſione

F Ordi-

Ordinariâ ſurrogabatur, acceſsère labores practici & curæ Forenſes, tùm in Scabinatu, tùm in Curiâ Provinciali, quas Adſeſſor ritè conſtitutus promtus ſubibat, & Socratis exemplô contemplationi & theoriæ paullatim ſe ſubtrahebat. Quâ occaſione, quam ſcitè uſurpâbat, theoremata vivis exemplis animavit, ſcientiam experientiâ firmavit, ingenium curâ quotidianâ ad tantum induſtriæ gradum evexit, ut judicium ad ardua quævis negotia armatum habuerit. Id quàm multum illi in ſubeundis functionibus aliis profuerit, ipſe non ſine adfectu & gratiâ meminiſſe ſolebat. Tria genera Politicorum ex ſententiâ Ariſtotelis conſtituuntur, primum eorum eſt, qui διάνοιαν habent, ἐμπειρίαν verò non habent, hoc eſt, qui quidem indocti ſunt, uſu tamen rerum aliquid prudentiæ ſibi comparârunt: alterum literatorum quibus διάνοια, ſed ἐμπειρία nulla, hoc eſt, qui ex libris prudentiam Politicam hauſerunt, ſed hujus aleam nunquam in uſu communi periclitántur: Ultimum verò illorum eſt, qui utrumque, ſcientiam nempè & uſum conjungunt. Horum in numero, quod eſſet HACKELMANNUS huic Academiæ & occaſioni tribuebat, ad quam principia & fundamentum ſtudii hujus unicè referebat. Præclariſſimus ille Legum Interpres Baldus Jure Conſultum duplici indigere ſale & piè ſcripſit & eruditè; ſale ſcientiæ, ſine quô ſit inſipidus, ac ſale conſcientiæ ſine quo ſit Diabolicus. Et ſale ſcientiæ HACKELMANNUM benè conditum, prolixè cognoviſtis, conſcientiæ ſale non leviter aſperſum, ſed intimius ſubactum fuiſſe teſtes appello, non unum aut alterum, quos hîc Collegas reliquit ſuperſtites, ſed plures, qui taciti meis ſermonibus coràm ſuffragari videntur. Actiones ſuas ſubindè ad hanc amuſſim exigebat, probè intelligens eam uti rectiſſimam ità ſubtiliſſimam & tenerrimam eſſe, & quod ait Ambroſius, ita gravem culpam eſſe conſcientiæ, ut ſine judice ipſa ſe puniat, & velare ſe cupiat, & tamen apud Deum nuda ſit. Obumbrari poſſe conſcientiam, quia non eſt Deus, extingui non poſſe, quia à DEO eſt, quod ait Patrum Latinorum & antiquiſſimus & diſſertiſſimus. Hâc face quam & ſibi & Studioſæ Juventuti præluxit, maturè actionibus ſuis ſplendorem conciliavit, atque ità eas informavit, ut ingruentibus affectuum nebulis, quod in hâc mortalitate oppidò quàm frequens? regiam calcare viam, ac vitæ integræ tenorem ſervare poſſet. Hâc Luce & Duce fretus Religioni Orthodoxæ, quam Luthera-

thera-

Digitized by Google

theranam, non tanquam ab Authore, ſed repurgatore & propagatore feliciſſimô, nuncupamus, ſine fucô apertum præbuit teſtimonium, Politicorum illorum peſtilem morem indignabundus deteſtans, qui ſententiam fidei vel cum Athenienſibus receptæ hominum opinioni, vel cum iſto Vertumnô aulicô nutui Principis accommodare, & ceu heliotropium ſolem ſequi tutiſſimum eſſe arbitrantur; vel qui cordis ſui cryptam ſibi reſerari muſſitant, ſi confeſſionem paratam expetas, ſi teſtimonium hujus deſideras, ſi ad conſcientiæ ſinceritatem appellas. Hôc fundô itâ recte excultô, hôc fundamentô benè conſtitutô, non erat, ut decœterô ingenii aut fortunæ dotibus calamitatem metueret, ſed potius annuente cœli clementiâ, incrementum uberius ſperaret; omnemque actionum ſuarum eventum DEO committeret.

Anno ſuprà milleſimum quingenteſimum nonageſimô octavô ad negotia aulica evocatus inter Conſiliarios Archiepiſcopatus Magdeburgenſis receptus eſt. Antequàm verò hinc diſcederet, per vernum ſemeſtre Rectoris epomida & ſceptra Academica eâ auctoritate, dexteritate & moderatione geſſit, ut Magiſtratu virum oſtenderet, & ſpecimen Provinciæ poſthâc adminiſtrandæ ederet luculentum.

Quàm invitus Academiam reliquerit noſtram quô adfectu eam vel abſens proſecutus fuerit, exindè æſtimare licet, quod huic valedicturus, à Rectore & Senatu ampliſſimô obnixè petiit, ut poſt diſceſſum ejus jus civitatis Academicæ & ſibi & ſuis ſalvum ac integrum maneret: quam petitionem, ad Acta Academiæ relatam, ante quadriennium cùm hìc eſſet, repetiit, & grata commemoratione renovavit. A qua enim liberaliter enutritus, à qua ampliſſimô honore affectus, à qua feliciſſimô matrimoniô ornatus diſceſſit, hanc, matrem tàm caram tàm liberalem, planè relinquere, ab hujus amplexibus & oſculis penitùs divelli, graviſſimum ipſi accidit.

Aulicam vitam ſplendidam, ſi noſtra cum umbratili ſcena contuleris, primô obtutu gratiſſimam & ſtabilem, ſi penitiùs introſpexeris inamœnam, & fragilem eſſe omninò deprehendes. In aula plus peccatur demerendô, quàm offendendô. Nam ſæpè accidit, ut aulicus vafer & improbus, in illos, futuri exitii ſemina pedetentim projiciat, à quô ad dignitatem evectus, quem veneratur extrinſecus, quem

benefactorem verbis laudat. Mos hic peſſimus & conſuetudo peſtifera, uti ab humanitate & prudentiâ ſimplici, cujus officinam Academiæ conſtituunt, longè remota, ita Doctoris & Profeſſoris noſtri animus ſincerus & pectus candidum ab iis alieniſſimum fuit.

Benefactorum memoriam honorificam ſecum recens circumferebat, & horum ad exemplum demerendo alios ſibi ſubinde devinciebat. Aulæ verò incommoda pericula & injurias, à quibus ſibi metuere potuiſſet, commodum declinavit, Sedis in Archiepiſcopatu ob minorennitatem quaſi-vacantis ſtatus & conditio; quæ eo tempore in iſtiusmodi Republicâ talis eſſe ſolet, ut Ariſtocratia liberior ſæpè unius vel alterius malevolenitam caſtiget, injurias avertat, impetus frangat. Ab eo tempore, quo per quindecim annos conſultationibus Regiminis inclyti interfuit, & inter alias Archiepiſcopatus cauſas arduas, etiam illas, quæ à ſummo Imperii Romano-Germanici Dicaſterio dependent, induſtriè tractavit, & cautè egit, ſingularem univerſi Capituli Archicathedralis prothymiam ſemper expertus eſt. Scilicet, qui bonas norunt literulas, qui humanitatem ſinceram ætate juvenili in Academiis imbiberunt, longè pluris faciunt eruditorum candorem modeſtum, quàm Politicorum fictam humanitatem & pictum candorem. Verùm ſicuti Cyrenæis, qui ob res ſecundas ferociebant, Pla-Plato Leges dare noluit, ità conſilium dare imperantibus, qui ſibi licere putant omnia, nec aliorum monita, quibus aliquid auctoritati & regimini ſuo derogari putant, ferre poſſunt, difficillimum eſt & perículoſiſſimum. Quamprimum Princeps Illuſtriſſ. Dn. CHRISTIANUS WILHELMUS, quem ob amorem erga literas & favorem erga eruditos alterum Alphonſum Jure dixeris, Archiepiſcopatus curam ſubiret, & gubernacula imperii capeſſeret, Conſiliarius, induſtriam & fidem ſuam Principi laudatiſſimo ità probavit, ut conatu ſimili officii munia continuare potiùs, quàm oſtentationis ſpecie, ad aucupandum favorem, comparare viſus ſit. Undè hoc præmii loco retulit, quod benignitatem & clementiam Principis optimi nunquam interruptam ergà ſe per univerſum vitæ reliquæ ſpacium nunquam non expertus fuerit. Rarus eſt ille felicitatis tenor continuus & conſtans in aulâ; & plures inveniuntur, etiam opibus cum Statilio Tauro inſignes, quos Agrippina paullatim ſubvertit: qui cum Papiniano apud Antonium

nium de capite periclitantur, qui cum Crœſo à conſpectu Cambyſis mortem fugà antevertunt, qui à Bambadilla cum columbô dejiciuntur: vel cum Polycrate inunguntur à Sole, & à Jove abluuntur: quam qui ſalva prora puppique hos aulæ ſcopulos prætemavigent & felices ad portum appellant. Qui propius ad ignem accedunt, caleſcunt plus ſatis, & niſi è veſtigio pedem reflectunt violentiam flammæ experiuntur. Conſiliarius ita ad ignem acceſſit, ut calefieri poſſet, propius non acceſſit, ne flamma fortunam ſuam lamberet. Sapientis quippè eſt cum Satyro ignem oſculaturo Promethei admonitionem audire:

Τράγος γένειον ἄρα πενθήσεις σύγε:
Καίει τὸν ἁψάμενον - h. e.

Barbam deflebis: nam tangentem ignis adurit.

Et hanc ſuperiorum benevolentiam nunquam temerè proſtituit aut vilipendit, quod faſtuoſi eſt, & majora ſectantis, ſed quod modeſtum decet & ſuà ſorte contentum, eandem ſollicitè amplexus eſt, & ſemper magnifecit. Indè cùm ad aulam Electoralem Saxonicam in locum eximii JCti P. Heigii vocaretur: Provinciam arduam, uſus inclyti Capituli literis, modeſtè renuit. Cum enim annos non ita multos lucem aulæ ferret, ac ſtrepitus & ictus nondum occalluiſſet, inconſultum fore arbitrabatur, ſtationem ingenio ſuo magis accommodam tàm citò relinquere, onus humeris ſuis gravius imponere, ac ſingularem inclyti Capituli benevolentiam inſupèr habere. Et ut naturâ ingenio ad modeſtiam proclivior erat, ſecum habitans: ita animo ea perſæpè volutabat, quæ Scaliger hoc carmine expreſſit:

Certo modulo te, & tua metire probando:
Ne ſcande locos è quibus indè ſit ruendum.

In Senatu & judicio animum in corruptum habebat, & integrum, nec unquam commiſit, ut cum Demoſthene argentinæ inſimularetur, aut calidas è Senatu manus aſportaſſe diceretur: Sed ex eorum numero erat, quibus τὸ δὲ χεῖρον ἐν ταῖς ψυχαῖς ἢ ἐν τῷ βαλαντίῳ, ut cum Xenophonte loquar. Notum ipſi erat & familiare illud Auguſtini verbum veriſſimum: Nemo habet injuſtum lucrum, ſine juſto damno. Ubi lucrum, ibi & damnum. Lucrum in arca & damnum in conſcientiâ. Hinc ipſi elegans frugalitas & frugalis elegantia, adeoq; vetus illa toties à ſapientibus laudata parſimonia, quæ in fundo, ubi non tantū minimū, ſed peſſimum

remanet, nimis ſera eſt, tantoperè adamata fuit, & in familia ſua poſt pietatem & cultum DEI familiam duxit. Quid enim aliud ſunt, quod nequaquam παντελῶς ἔξω καιροῦ καὶ λόγου eſſe puto, ut Nazianzeni verba mea faciam, ſplendidæ iſtæ Conſiliariorum juxtà aulas Imperatorum ac Regum commeſſationes? quid tragemata luxurioſa, epulæ exoticæ, potus exquiſitiſſimi? quid veſtes pretioſæ, familia ampla, miniſtrantium turba, ædificia magnifica, quid quæſò aliud ſunt, quam clientum emunctoria, & anſæ, Jus non in Scholaſticorum loculis, in quibus propter pecuniæ defectum vacuum dari, Rebuffus dicebat, ſed in clientum crumenâ interdùm quærere; iis præſertim, quibus, quòd frequentius, exigua ſunt ſalaria, aliundè vel hæreditariâ acceſſione, vel ab expectantiis, ſeu gratioſis donationibus Dominorum ſuorum, quas vocant, nihil abundè ſuppetit; quod vel ſumptus impenſos æquare, vel ſaltem ad ſpeciem illis reſpondere queat. Hic verò Conſiliarius noſter, ne conſcientiam ſauciaret integram, ne oculos excœcaret claros, ne manus puras pollueret, rationes ſuas ità putabat, ut curaret ea non quæ opus, ſed quæ neceſſè: imò omnia ad mediocritatem ità reducere conabatur, ut quæ officii dignitas & rei honeſtas pro re natâ exigebant ſingula, non ad exuberantiam, ſed ſufficientiam inſtructa vidiſſes:

Felix qui indultis potuit mediocriter uti
Muneribus, parcumque modum ſervare fruendi:
Quem locuples mundi ſpecies & amœna venuſtas
Et nitidis fallens circumflua copia rebus
Non capit, ut puerum, nec inepto addicit amori.

Jure merito cum Prudentio exclamo. Copia facultatum ſi tibi ſuppetit, pauperes adſunt quorum inôpiam ſublevare ex debitô vi mandati divini, teneris. Et hinc quoque defuncto noſtro, divina benedictio non defuit, ſed affatim profuit, inque lauta & benè aucta parte illum conſtituit.

Audiviſtis, Aud. & juxta mecum intellexiſtis, maximam vitæ partem HACKELMANNI noſtri: reſtat ultimus vitæ actus & clauſula, quam ſi prioribus ſubnexuero, finem dicendi faciam, & perorabò.

Hic verò ſingularem ſupremi Numinis Providentiam ſatis mirari non potuit, ut quem ab Academicis ſtudiis olìm ad conſilia aulica pertraxiſſet, iterùm poſt tot annorum decurſum à conſiliis & negotiis aulicis ad ſtudia Academica

demica denuò retraheret: cujus viciſſitudinis ipſum non ſine adfectu aliquoties recordari audivimus. Namque ante annos ſeptem Sereniſſ. Saxoniæ Elector, nil quicquam tale cogitantem, ad munus Ordinarii magnificum in Academia Lipſienſi vocavit, & per literas cum Archiepiſcopo Magdeburgenſi egit, ut bona cum gratia, quam perpetuam erga ſe ſuosque expertus eſt, dimitteretur, id quod factum anno ſupra milleſimum ſexconteſimo duodecimo. Procul dubio Deus benigniſſimus deſiderium viri optimi jam olim erga ſtudiorum humaniorum tractationem conceptum, & adfectum quo noſtram Academiam proſecutus eſt, hoc ipſo officii & loci ſtatu commutato allevare, & magna quadam felicitatis parte compenſare voluit. Dulce nomen eſt Academiæ tàm de docentibus quàm diſcentibus etiam poſt longum annorum intervallum, ſi probè pars utraque ſuo officio defuncta, ſi vita inculpatè & decenter transacta fuit.

Τί γὰρ ἐςὶν ἄλλο ἡ παρ' ἡμῖν καλουμένη Ακαδημία; ἢ Ἀκρόπολις Σοφίας, Ναὸς ἀληθείας, Επιςημῶν θησαυρὸς: Πασῶν ἐλευθερίων τεχνῶν πανήγυρις: Σωφροσύνης τε καὶ φιλανθρωπίας παλαίςρα; φιλίας τε καὶ ἀνθρωπίνων ἀρετῶν ἐργαςήριον; Πολιτικῶν ὀργάνων ὁπλοθήκη: Παράδεισος θαυμασίων τῆς ψυχῆς ἡδονῶν: Πηγὴ. θ' ἁπάσης τῆς ἐπὶ γῆς εὐδαιμονίας: Τέλος ἢ καὶ ἠώς τις τῆς κοινῆς πάντων Σωτηρίας πρόδρομος: quemadmodum Germaniæ noſtræ Academias inſigne illud literarum decus Julium hoc elogio ornavit. Vel ſi Latina mavultis Aud. eximii JCti & Philologi interpretationem in præfatione ad Salvianum, quem Bibliothecæ Academiæ hujus ſua manu conſecravit, percipite: nempè Academiam nihil aliud eſſe, quàm arcem ſapientiæ, templum veritatis, ſcientiarum theſaurum, omnium liberalium artium mercatum, modeſtiæ & humanitatis palæſtram, amicitiæ & humanarum virtutum officinam, civilium inſtrumentorum armamentarium, mirabilium animi voluptatum Paradiſum, ac fontem univerſæ in his terris vitæ beatæ: denique auroram quandam, communem omnium ſalutis prænunciam. O illuſtre Academiæ encomium, & cedro dignum! Quis ergò aulæ inquietæ tumultibus, quis fori ſtrepitibus & ſuſurris, quis aleæ ſortis periculoſæ hanc vitam tranquillam & ſecuram, laborioſam quamvis & humilem præferre nolit, & noſtro cum Ordinario cauſis de non unis anteferre? Veniens igitur, Lipſiam ſimul Pro

feſſor & Curiæ Provincialis ſupremæ Adſeſſor conſtitutus fuit; quas functiones tùm lectionibus tùm diſputationibus publicis, tùm conſultationibus ità obiit, ut ſummum ſui deſiderium poſt ſe reliquerit. Anno ſequenti cum Illuſtriſſimo & Celſiſſimo Principi ac Domino, Domino JOHANNI-PHILIPPO, Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Bergæ, &c. Domino noſtro clementiſſimo, ſceptra Academica deferrentur, & Paraſtates, qui partem oneris graviſſimi in ſe ſuſcipere, ipſius Celſitudini adjungendus eſſet, ii penes quos ex vigore ſtatuti & conſuetudinis, jus eligendi erat, ex omnibus magnificum Dn. Ordinarium nominarunt, qui etiam in gratiam Academiæ lubens id oneris in ſe recepit, & cum ſingulari gravitate & ſapientia per totum adminiſtrationis tempus rebus Academicis præfuit. Acceſſit prioribus & hoc, quod ante biennium in publico quatuor Nationum conventu & Canonicus Merſeburgenſis & Decemvir Academiæ renunciatus fuit; quæ beneficia & officia ab incunabulis ſuis multis retro annis Academia Lipſienſis obtinuit, & adhuc viridi, quod dicitur, obſervantia cuſtodit. Superiori anno Præpoſitus trium Pagorum veterum Academiæ conſtitutus, omnia quæ è re fuerunt, diligenter circumſpexit, admonuit, effecit; quorum omnium, his verbis, teſtimonium ſatis luculentum Academia publico Programmate ipſi perhibuit.

Felix ultimus rerum geſtarum curſus hic fuit, quem magnificus Dn. Ordinarius loco celeberrimo mira celeritate confecit, atque ita ſe geſſit, ut in ſummo honore rara humilitas, & in rara humilitate ſummus honor conſpicuus eſſet: quæ omnia cum in hoc viro perſpecta eſſent, dignus ſpectatu judicabatur. Et ſi mecum antegreſſa paululum revolveritis Aud. prima reſpondent ultimis, & ultima primis aptiſſime cohærent. Unicum eſt, quod eudæmonias hujus civilis tenorem vitiare & tantum non interrumpere potuiſſet Obitus nempe uxoris ſuaviſſimæ, quem ſtatim annus ſecundus Lipſiæ excipiebat, quo ipſe labores Magiſtratus Scholaſtici, onus illud Ætnâ gravius, ſuſtineret.

Quod malum quod ad cor usque & medullam penetrabat, ipſius vires publicis moleſtiis alias ſatis detritas, adeò dejecit, ut vix ac ne vix quidem haud exiguo temporis ſpacio res ſuas, præſertim domeſticas, colligere & componere potuerit. Magnum malum fuit ſciſſura hæc domeſtica. Quis enim tam compoſitæ felicitatis, ut non aliqua

et

Digitized by Google

ex parte cum ſtatus ſui qualitate rixetur ? ait nobilis Romanorum Philoſophus Boëthius; hanc tamen alterô annô, rebus ità ferentibus, DEUS propitius iterùm conſolidavit matronâ ſpectatiſſimâ ELISABETHA, Doct. GEORGII FEIGII, Prof. quondam illius Academiæ, viduâ, quàm votô & fatô ſecundô in matrimonij ſocietatem cooptavit, cumque eâ ſuaviter, ſed ἄπαις, ad ultimum vitæ articulum, tempus reliquum tranſegit.

At quærat fortaſſis ſub finem Orationis meæ veſtrûm aliquis, quomodò diſceſſus ex hâc vitâ, ſucceſſibus feliciſſimis Ordinarij reſponderit? Imperator L. Septimus Severus, quem Divum Inſtitutiones Juſtiniani paullò ambitioſius nuncupant, mortem jam appeſſiturus, omnia dixit; fui, ſed nihil mihi expedit, quod refert hiſtoria Perſica Bizari. Seriò quidem, hic ipſe graviſſimum momentum quod in diſceſſu vitæ hujus ſitum eſt, animô ſecum expendit; & contrà omnes hujus mundi delicias & gazas vilipendit, ſed nimis ſerò. Pientiſſima verò fuit Theodoſij Auguſti meditatio, qui Eccleſiæ Chriſtianæ ſe membrum eſſe, magis, quàm in terris regnare, gaviſus fuit, memorante Auguſtino Tom. 7. lib. 5. de C. D. c. 26 Hæc optimi Imperatoris meditatio, uti omni in vitâ animum τȣ̃ μακαρίτȣ occupavit, fidei ſigilla ipſi in memoriam reduxit, & vera & ſincera erga DEUM cultus & fiduciæ ſubindè admonuit, ſic ſine omni dubio quamvis ex improvisò die 8. Novembr. hemiplectibus factus & linguæ Paralyſin paſſus eſſet, ad extremum uſque halitum Salvatoris ſui meritum & lytron univerſale, mente fidâ & corde firmô complexus eſt. Namque & pietatis exemplo in vitâ ſuâ universâ alijs præivit, & hoc ipſo anno, quo febri graviſſimè decubuit, ad mortis iter ſe præparavit, ità certò confidimus, ipſum & piè obiiſſe diem, & viam anguſtam, quæ per mortem ad cœlum ducit, animosè ſuperâſſe.

Habetis nunc A. integram vitæ periodum, quam DEI & naturæ ductu Vir Magnificus ſecutus eſt. Amiſit Acad. Lipſienſis Profeſſorem, Facultas Juridica Ordinarium, Curia Provincialis Adſeſſorem, quælibet ſuo in genere magnum; Omnes unà lumen clariſſimum, & quidem hoc rerum ſtatu perturbatiſſimo, graviſſimâ cum Reipublicæ jacturâ & detrimento amiſit. Amiſit virum, qui Chriſtianè vixit, quod eſt pietatis, virum qui verum intellexit, quod eſt prudentiæ, virum qui benè voluit, quod eſt æquitatis,

virum qui conſtanter egit, quod eſt perſeverantiæ; hunc virum amiſit Reſpublica, Auditores. De cujus virtutibus plura, quæ ſuperſunt, dicturus eſſem, niſi clepſydram ultimum ſtillicidium jam jam hauſuram eſſe animadverterem. Summus JEHOVAH, qui ſolus nutu & renutu ſuo univerſum hujus mundi imperium adminiſtrat ac ſuſtinet, lacunam redintegret, viroſque magnos excitet, & conſervet, qui veluti lucentes quidam Phari in hoc tempeſtuoſo ſalo nobis alluceant, quo ad mundi colophonem, quem dextra ſua jam impoſitura videtur, Eccleſia vera inter nos perennet. Vos verò Magnif. Dn. ProRector, Viri Rever. Ampliſſ. & Clariſſ. tuque Studioſorum concio lectiſſima, vos quæſo ignoſcite mihi, quod benevolentia veſtra ultra metam præſtitutam abuſus pro auſcultatione attenta non prolixas agam gratias inque ſtudiis meis repromittendis ſim uberior. Nam ſi aliquid tædii prolixitate ſermonis Vobis concitavi, tantò moleſtius Vobis futurum arbitror, quantò diutius huic immorari voluero: ſive quod τοῦ μακαρίτου manes ſperare jubent, grata fuit auditu & accepta, Vobis jam videor pro hoc humanitatis officio parte aliqua gratias perſolviſſe.

Concio D. HACKELMANNO habita fuit *lugubris* Lipſiæ, ex *Apocal.* VII. 13. 17. à *Polycarpo Lyſero*, D. Paſt. & Profeſſore.

Ἐπιτάφιος λόγος.

HACKELMANNUS *in hac tenui concluditur urnâ,*
Aſtrææ cordum delitiumque dices;
Lipſia quem coluit, ſtupuit quem Iena diſerto
Fundentem Themidos nectar ab ore ſacrum.
Candida quem Virtus & rara ſcientia notum
Fecere Eois Occiduisque plagis.
Muto, quod dixi. Non HACKELMANNUS *in urna hac*
Clauditur, aſt tenues corporis exuviæ.
Pars ejus melior cœlorum ſede recepta eſt,
Spiritus in Chriſto gaudia mille capit.
Fama Viri niveis evecta per æthera pennis
Vivit & æterno flore perennis ovat.

JOH. GERHARDUS D.

Mors HACKELMANNI *meritò jugetur ubivis;*
Tanto namque Viro Lipſia noſtra caret.
Hunc ſibi poſcebat tuus, illuſtriſſime Princeps,
Supremus judex, dicere jura volens:

Hunc

Hunc ſibi poſcebat Themidis ſtudioſa juventus,
Et Mersburgenſis ſacra cathedra ſibi.
Hunc ſibi poſcebat Deus in conſortia regni,
Optima de mundo pectora quæque vocans.

J. SCHULTES D.

SCRIPTA.

Quæſtiones juris illuſtriores & ſelectiores in communi vita uſum habentes XXVI. Diſputationibus propoſitæ: *Francof.* 1602. *Magdeb.* 1613. in 4.

Selectiores quæſtiones ex jure Pontificio Canonico: *Francof.* 1602. in 4.

Diſputationes in lib. Pandectarum: *ibid.* in 4.

Diſputationes Feudales. *Ienæ* 1595. in 4.

Diſputationes habuit quoque in jus univerſum: De Pactis: de Banno, & ejuscemodi dubio procul plures.

VITA

Viri Ampliſſimi atque Conſultiſſimi,

DN. DIONYSII GOTHOFREDI,

Juris Conſulti Conſummatiſſimi,

In Celeberrimis aliquot Academiis, ac præcipuè in alma Argentoratenſi, Profeſſoris Publici

Totaque Europa Clariſſimi;

Paucis delineata,

In Appendice Chronologica, Orationibus Secularibus Gymnaſii Argentor. adjecta,

à

MELCHIORE SEBIZIO, Med. Doct. Prof. P. Com. Palat. Cæſar. & Reip. Archiatro.

Natus

Digitized by Google

cet Coronatorum annui ſtipendii cum pollicitatione factas, ſumma cum gratiarum actione repudiavit. Anno 1608. ab *Illuſtribus Friſiæ Occidentalis Ordinibus*, miſſo Legato, vocatus eſt ad Academiam ipſorum *Franckeranam*. Sed venire itidem recuſavit. Turbato Germaniæ ſtatu, & Palatinatu in ruinam atque interitum præcipitato, ut publicorum furorum turbines declinaret, Exul *Argentoratum* venit, Anno 1621. Menſe Septembri. Mœrore, ſtudiis, vigiliis, itineribus variis, corporisque ægritudinibus exhauſtus, fractus, planeque conſumptus, ſupremum halitum fudit *Argentinæ*, Anno 1622. d. 7. Septembris, inter 9. & 10 antemeridianam. Vir ſcriptis juridicis & Philologicis celebratiſſimus, Jureconſultus ſui ſeculi Maximus.

IN EFFIGIEM
DIONYSII GOTHOFREDI,
JCti incomparabilis

Credo, quod ipſa Themis GOTHOFREDO hoc nomen olympo
Attulit ex alto; tam bene quadrat ei:
Pax divina ſcopus ſit juris, & hanc docet ejus
Corpore, quo lites dirimit ipſe piè.

SCRIPTA.

Conſuetudines Civitatum & Provinciarum Galliæ, cum notis: *Francof.* 1597. in fol.

Notæ in IV. libros Inſtitutionum Civilium: *Genevæ* 1583. *Lugd.* 1586. in 12.

Judex chronologicus legum & Novellarum à Juſtiniano Imper. compoſitarum: *Argent.* 1592. in 4.

Fragmenta XII. Tabularum, ſuis nunc primum tabulis reſtituta: *Heidelb.* & *Genevæ* 1616. in 4. Eorum epitome, quæ nobis ſuperſunt ex Legibus XII. Tabularum: *Genevæ* 1586. in 8. & 4.

Opuſcula juris varia: *ibid.* 1586. in 8. & 1634. in 4.

Corpus juris civilis cum Notis: *Lugd.* 1589. 1602. in fol. *Genevæ* 1614. in fol. 1620. 1628. in 4. 1625. in 8. *Pariſiis* 1628. in fol. *Francof.* 1649. in 4 1662. in fol. *Lucernæ* 1653. in 4. & ſæpius alibi.

Diſputationes ad digeſtum Juſtiniani: *Argent.* 1604. in 4.

Πρόδρο-

Digitized by Google

Πρόδρομος vel Antecurſor de tutelis Electoralibus teſtamentariis, legitimas excludentibus, Zachariæ Fri契richo miſſus: *Heidelb.* 1611 & 1613. 4.

Praxis Civilis ex antiquis & recentioribus auctoribus, Germanis, Italis, Gallis, Hiſpanis, Belgis & aliis, qui de Practica ex profeſſo ſcripſerunt, collecta, ſummariis, notis etiam interdum aucta: *Francof.* 1591. in fol.

Antiquæ Hiſtoriæ ex 27. autoribus contextæ libri ſex totidem ſolennes temporum Epochas continentes: *Baſil.* 1591. in 16. & *Lugd.* 1604. in 8.

Quæſtiones Politicæ ex jure communi & hiſtoria deſumptæ: *Argent.* 1598. in 4.

Pro Conjecturis in Senecam brevis ad J. Gruterum reſponſio: *Francof.* 1591. in 8.

Notæ ad Varronem, Feſtum & Nonium. Variæ item lectiones in Fulgen. & Iſidorum: *Lugd.* & *Geneva* in 4.

Notæ in Marcum Tullium Ciceronem: *Lugd.* 1588. 1591. in 4.

Lucius Annæus Seneca ex ejus recognitione: *Colon.* 1593. *Heidelb.* 1593. in fol.

Statuta regni Galliæ, juxta Francorum, Burgundorum, Gothorum & Anglorum, Gentium Germanicarum in ea dominantium conſuetudines, cum jure communi collata & commentariis illuſtrata: *Francof.* 1611. in fol.

De tutelis Electoralibus teſtamentariis legitimas excludentibus libri VII. adverſus ſynopſin Zach. Friderichi: *Heidelb.* 1614. in 4.

De jure Paganorum: *ibid.* 1626. in 8.

Synopſis ſtatutorum Municipalium ad Pandectarum methodum & ordinem digeſta: *Francof.* 1611. *Geneva* 1653. in 4.

Animadverſiones juris civilis: *Genev.* 1628. in 4.

RECTOR

RECTOR ET SENATUS Academiæ Gryphiſvvaldenſis,

Ad Exequias Luctuoſas,

Quas

Viro Ampliſſimo & Conſultiſſimo,

DN. JOACHIMO STEPHANI

JCto Celeberrimo & Academiæ Profeſſori Ordinario, & Illuſtriſſimorum Pomeranorum Principum Conſiliario fideliſſimo, jam in CHRISTO beato Parenti ſuo, pietatis officio honorificè Vir Clariſſimus & Conſultiſſimus.

DN. LAURENTIUS STEPHANI,

J. U. D. Illuſtriſſ. Ducis Megapolenſis Conſiliarius, & Academiæ Roſtochienſis Profeſſor Ordinarius, Parabit ad 21. Januar. h. 2.

Omnium Ordinum Cives & alumnos invitat.

LEx judiciorum eſt ſaluberrima: In dicaſteriis acceptionem perſonarum non eſſe habendam. Quæ non tantum his, qui in Reipublicæ navi juſtitiæ clavum tenent ac moderantur; ſed & illis qui regimia ſolùm trahunt, & operam ei conferunt ſubſidiariam, velut officio & apparitoribus, formam pragmaticam præſcribit. Omnes namque hos & ſingulos ἀπροσωπολήπτους eſſe convenit. Cumque ſæva mors apparitoris inſtar ſit judici illi judicum, qui propediem εἰς κρίσιν ἥξει, κρίνων εὐσεβέων καὶ δυσσεβέων βίον ἀνδρῶν, quam nactus eſt, impigrè ornat, ac juſſionem de hoc vel illo in jus vocando factam intrepidâ & illachrimabili fronte exequitur. Non enim vim & potentiam formidat,

midat, non numerum & copias cenſet, non genus & nobilitatem æſtimat, non loculos & divitias ambit, non corpus & formam moratur, non animum & prudentiam admiratur, non parcit ſexui, non connivet ætati; ſed æquo pulſat pede pauperum tabernas regumque turres, neque ulla eſt aut magno aut parvo lethi fuga. Teſtes hujus rei tot Monarchæ, Alexander ille Magnus, Cyrus, Craſſus & Cræſus: Teſtes tot Philoſophi, tot Jure Conſulti, Sapientiſſimus apud Græcos Socrates; apud Romanos Sempronius eſt laudatus. At ubi illi, ubi iſti? Jam dudum defluxêre Acherontis ad undas. Ac quid veteres illos manes ſollicitamus? Evidens nimis dictorum argumentum ſuppeditat obitus luctuoſiſſimus Ampliſſimi, Clariſſ. & Conſultiſſimi Viri, DN. JOACHIMI STEPHANI, JCti & Profeſſoris in hac Univerſitate Ordinarij, Facultatisque Juridicæ, Senioris. Qui, ſi pietatis ardor, rei familiaris ſplendor, benemeritorum cumulus, ingenij ſolertia, morumq; integritas quicquam in cauſa mortalitatis momenti obtinerent, certè immortalitate dignus omnium. quibus candor cordi, albo calculo pronunciaretur; Sed heu! obdormivit. Ut tamen memoriam tanti Viri, per ſe quidem æviternùm duraturam recolamus, & *καδδύναμιν* conſervemus, juvat hic vitæ ejusdem curriculum carptim, quando paginæ anguſtia ſolidam virtutum commendationem non capit, perſtringere. Ac ſanè natales & patriam collegæ noſtri deſideratiſſimi quod attinet, *Pyrizium* ea eſt, non minima inter Pomeraniæ Civitates Civitas. Ex ea enim primitus fulgur repurgati per D. Lutherum Evangelij huic oræ emicuit, luminaque Virorum omni in doctrinæ genere excellentiſſimorum ſplendidiſſima prodierunt, inter quos piè defunctus juris Sacerdos, cum fratre, DN. MATTHIA STEPHANI, JCto & Profeſſore hujus Univerſitatis celeberrimo, non poſtremos ſortiuntur. Parentibus autem editus eſt HYPPOLITO STEPHANI, Cive & Viro inter ſuos bono, & AGATHA BURCHARDES, Matronâ vel ipſo nomine probâ. Qui eundem & ſacris Baptismatos, atque liberalibus ſtudijs pro Scholæ patriæ modulo initiari gnaviter curarunt; Donec Anno ætatis 12. (divinæ enim quæ in ipſo ardebat particula auræ pulverem Scholaſticum amplius non ſuſtinebat) ad illuſtre Pædagogium *Sedinenſe* ex voto Parentum commigravit, ubi per aliquod temporis ſpatium oleum & operam ſtudijs impendit ſedulam, nec perdidit.

Inde

Inde *VVittebergam*, orthodoxæ fidei matrem, ſe contulit, aliasq; ab hinc German. Academias φιλομαθὴς perluſtravit. Tandem *Roſtochium*, inclytum illud literarum commerciorumq; emporium, appulit, laureaq; Magiſterij inibi pro merito donatus fuit. Cumque ſingularis ipſius eruditionis fama jam increbeſceret, ac patribus patriæ noſtræ meliori de nota commendaretur, ab Illuſtriſſ. & Celſiſſ. Principe ac Domino, Dn. ERNESTO LUDOVICO, Duce Stetini Pomer. Caſſub. & Vandal. Principe Rugiæ, pientiſſimæ memoriæ, ad Matheſeos Profeſſionem hac in Academia Ordinariam, anno 1572. vocatus eſt. Qua in ut & reliquarum genuinæ Philoſophiæ partium enodatione pro excellentia ingenij ſui (cujus ac multijugæ eruditionis veſtigia in ſcriptis juris publici factis extant luculentiſſima) feliciter atque utiliter verſatus eſt. Ab artibus deinde pedanijs ad auguſtiora aſpirans, reique ſanctiſſimæ, civili nempe ſapientiæ ſeſe devovens, anno 1577. ejus Profeſſor & Doctor ſolenniter renunciatus eſt, unaque operâ nuptias cum honeſtiſſimâ Matronâ BARBARA RIBOWEN, MICHAELIS ROSEN, civis hac in urbe primarij, relictâ viduâ celebravit. In ſtatione verò iſthac juris publica, tam legendo quàm diſputando adeò induſtrium ſe præſtitit, ut non dubitarit flos nobilitatis Pomeranæ pignora ſua ipſius liberaliſſimæ inſtitutioni concedere, quæ nunc in partem publicæ ſollicitudinis adſcita patriæ noſtræ gubernacula, non ſine grata recordatione ejus, à quo profecerunt, dexterrimè moderantur. Tempore deinde ſubſequenti non ſolùm Conſiſtorij, quod hic habetur, Eccleſiaſtici directionem ac Syndicatum Academiæ per plures annos ſuſtinuit jurisdictionem ac immunitates ejuſdem maſculè & acriter propugnavit, nihilque prætermittens unquam, quo ſperavit Academiam hanc noſtram ab interitu poſſe vindicari; Sed & Illuſtriſſ. & Celſiſſimis Principibus ac Dominis, DN. ERNESTO LUDOVICO, DN. BUGISLAO, tunc temporis tutori, DN. CASIMIRO, ac DN. PHILIPPO JULIO, Patrono Academiæ hujus beneficentiſſimo, Ducibus Stetini Pomeraniæ, &c. à Conſilijs fuit intimis, ſalutemque patriæ, ſupremam illam legem, in omnibus vel finalibus vel reliquis maximi ſæpius momenti controverſiis, quibus diſcutiendis & componendis nunquam non adhibebatur, unicè reſpiciebat, ſequebatur & aſſequebatur. Utque publica hæc ita privata quoque & domeſtica

Digitized by Google

converſatio laudabilis & omnibus numeris abſoluta extitit. Inter Cives enim Civem, virum bonum maritumque domi idoneum egit, ac cum conjuge BARBARA RIBOWEN oculitus adamatâ ſeptem ſuſcepit liberos: 1. BARBARAM 2. JOACHIMUM 3. Filiolam in partu denatam 4. CATHARINAM 5. JOHANNEM, 6. LAURENTIUM 7. CHRISTOPHORUM, ex quibus unicus, ſolatium & pabulum ſenectutis dulciſſimum, ſolùm ſuperſtes manſerit, nimirum CL. & Conſultiſſimus Vir, DN. LAURENTIUS STEPHANI, JCtus, illuſtris aulæ Güſtrovienſis Conſiliarius ac deſignatus Profeſſor Academiæ Roſtochienſis Ordinarius, ex quo & conjuge ejus lectiſſima, ANNA, Magni illius ERNESTI COTHMANNI JCti, & Illuſtriſſimi Ducis Megapol. Cancellarii filiâ, nepotes & neptes octo natos (quæ non poſtrema divinæ benedictionis pars eſt) vidit. Verùm enim verò maximo cum cordolio Anno 1617. conjugem, ac cum ea dimidium animæ ſuæ, amiſit. Ex quo etiam deinceps mœrore ac ægritudine confectus debilitari & mente & corpore cepit, adeò ut nec publicis congreſſibus amplius intereſſe potuerit. Iſtam tamen Dei Opt. Max. δοκιμασίαν & paternam caſtigationem patientia, Chriſtiano homine digna ſuſtinuit, precibusque ac meditatione τῶν ἄνω perpetim vacando, quicquid erat ærumnarum & laborum leniebat. Donec tandem 14. Januarii piè placideque cupiens cum Paulo diſſolvi, ex hac in cœleſtem Academiam emigrarit. Quia verò hodierno die, hora ſecunda, corporis exuviæ omnium noſtrum genetrici, terræ, demandabuntur, omnes qui ſceptra Univerſitatis hujus obſequiosè venerantur, admonitos volumus, ut frequentes memorato tempore conveniant, funusque Viri, tam excellenter docti, tam inſigniter de ſtudiis, de Patria, de Academia hac noſtra meriti, nobiscum religiosè deducere haud intermittant. Id, quia pietas, gratitudo & obſervantia omni ex parte debita expoſcunt, neminem non, in quo adhuc mica probitatis ſuperat, dicto & monito audientem ſe præbiturum confidimus. P. P. Gryphisvvaldi 21. Januarii, anno 1623.

EPICE-

Digitized by Google

EPICEDIUM
In Celeberrimi JCti,
JOACHIMI STEPHANI
Obitum.

Eheu ſic meritis tribuit ſtipendia tandem
Facti ut defecti triſtia fata ferant.
Diverſi at diverſa ferunt hìc præmia vitæ;
Optima fama piis, peſſima fata malis.
Cunctos Fata manent; juſtis aſt optima Fama
Ceu meruit pietas ingeniique labor.
Hinc STEPHANI nunc fama manet, factiq; manebit
Poſt cineres magnum nomen in orbe ferens.
Quis fuerit noſtrâ quamvis ætate rogabunt
Nunc pauci STEPHANUS pleraque nôre Virum.
Omnes aſt hunc noſſe decet dum commoda cunctis
Conſilio præſens ingenioque tulit.
Utque citra falſi notum; Facundia mentis
Excultæ præſtò cum pietate fuit.
Conſcia mens æqui ſemper, non inſcia juſti
Qua foret Eulogium legis itemque piæ.
Artis ut & natura comes junctimque favebat
Quin uſu rerum mens & ad aucta benè.
Hinc animus tanti ingenii virtute remota
Concuſſus, fletu lumina noſtra madent.
In lacrumis STEPHANUM conteſtans Aula ſequatur,
Conſiliis patriæ profuit ille ſuæ.
Nunc lacrumis foveat STEPHANUM ſtudioſa juventus
Qui fax juſtitiæ quique columna ſcholæ.
Unicus heu Gnatus Doctor cum gente nepotum
Ereptum viris deflet & ille patrem.
Adſtant congeniti lacrumis, & funera lugent,
Lugent patronum conſiliique patrem.
Pectore nil & ego niſi mœſtum & triſte revolvo,
Ob ſenii morbum duraque fata ſenis.
Sed fuit in fatis extremam fundere vocem,
Ne videat juſtus damna nefanda mali.
Is vita fuit, utque volunt plerique videri;
Vixit, ceu juſti non renuunt morier.
Acta in eum STEPHANI juſtè, mons vivida vivit,
Æternæ & vitæ digna corona data.

LAURENTIUS MARQVARDUS.

Digitized by Google

SCRIPTA.

Demonſtrationes Politicæ: *Gryphisvv.* 1599. *Francof.* 1615. in 8.

De jurisdictione Græcorum, Judæorum & Eccleſiaſticorum: *Francof.* 1604. 1613. 1661. in 8.

Tractatiuncula de Concilijs & Synagogis earumque convocatione & auctoritate: *ibid.* 1611. in 8.

Inſtitutiones Juris Canonici in tres libros, ſecundum tria juris objecta, partitæ: *ibid.* 1612. in 8.

De Sponſoribus & Solutionibus: *ibid.* in 8.

De Arte juris: *Roſtochij* 1615. in 8.

Expoſitio Novellarum Conſtitutionum Juſtiniani Imperatoris: *Francof.* 1616. in 8.

PROGRAMMA,

Quo

AD SACRUM EXEQUIALE,

Manibus Sanctis

Viri Magnifici, Conſultiſſimi,

DN. ERNESTI COTHMANNI,

JCti Incomparabilis, Cancellarij Megapolit. deſideratiſſimi, Anteceſſoris celeberrimi,

Hodiernâ Dominica Jubilate ejulando adornandum,

DECANUS ET DOCT. JURIDICI ordinis in alma Roſar. Academia obitum Collegæ integerrimi, Senioris, Præceptoris & Patris honorandi, acerbè & piè lugentes συμπάθειαν debitam conteſtantes, ſuo & heredum totiusque familiæ nomine;

Omnes omnium ordinum Academicos Cives invitant.

LUxit hactenus Academia hæc cùm multis, tùm verò duobus luminibus corruſcis, ceu ſtellis lucidiſſimis, imò Numinibus terreſtribus JOANNE AFFELMANNO Theologo, ERNESTO COTHMANNO JCto, Magnis, Gueſt-

Digitized by Google

Gueſtphalis oculatiſſimis, quorum iſtum Martio ſeu potiùs Mortio menſe nobis ereptum nondùm eluximus, hunc verò Aprili ſubſequo humandum acerbiſſimo dolore nunc lugere incipimus. Aprilis hicce vernantes terræ poros aperiens, mundum pingens & exhilarans, in nos Cataractas dolorum effundit, fluctuum & abyſſorum reciprocationes & mutuas quaſi inclamationes, (Pſal. 42.) concitat, Academiam hancce inundat, concutit & tantùm non peſſundat. Luce fugatâ nox ſuccedit, litteratis pulſis barbaries ingruit, Tibicinibus ſubtractis periſtylium concidit & Profeſſoribus fidis è medio ſublatis Academia languet, inclinat omnibusq; partibus fatiſcit. Vulgus, fatuorum & ſapientum obitus pari jure cenſet, inquit Eccleſiaſtes, c 2. Juſtum colligi & malis ſubduci, nec à quoquam adverti ait divinus Vates (Eſa. 57.) Aſt nos mortes piorum adventantis periculi & pœnæ præſagas & prænuncias eſſe, non ex voce bovis tempore Punici belli *Cave tibi Roma* mugientis, nec garritu cornicis interitum Domitiani prædicentis, ſed verbo JEHOVÆ cotidiè in auribus noſtris reſonante didicimus, imò ſæpiùs experti etiamnum ingemiſcimus. Aquilis Eccleſiarum & Scholarum paraſtatas cùm ſacræ, tùm prophanæ comparant Pandectæ. Iſtarum verò advolatus ut fauſtum, ità & avolatus ſiniſterrimum ſemper, teſte Alexandro, fuit habitum augurium. Paucis ab hinc annis aquilæ complures terreſtris hujus Acad. pertœſæ in cœleſtem penetrarunt. Haſce nunc fœces mundanas pariter, faſtidiens pernicibus pietatis & famę alis enitens, ſubſequitur Aquila noſtra, decus noſtrum, litteratorum Princeps, virtutis dictator, & JCtorum Phœnix, Magnif. & Conſultiſſimus Vir, ERNESTUS COTHMANNUS, quem ex oculis noſtris ſubductum dùm cernimus, currum & equites noſtros nobis ereptos eſſe cum Prophetâ Magno, haud immeritò inclamamus. Certè nos, qui fidem, induſtriam, dexteritatem Viri hujus multis modis probavimus, qui præceptorem eum agnovimus, qui eum Achatem, Theſeum, Atlantem, imò Herculem coluimus, eundem opinione citiùs occidiſſe animitus plangimus. Dona & virtutes, quibus JEHOVA virum hunc beatum cumulavit, referre ſi conemur, verendũ, ne quis Antalcidas Philoſophus exiſtat, & fruſtrà laudari, quem nemo reprehendere auſit, vel Criſpus exſurgat, & quod laudari ſatis nequeat, ſilentio potiùs involvendum eſſe objiciat. Attamen pij Manes expoſcunt panegyrin

Digitized by Google

parentalem, quam cum pagina hæcce haud capiat, ἀποθιώσιν viri tanti levi tantùm & quidem tali ſtylo, quem pectus ſingultibus obſitum eliquat, delibaſſe ſufficiat. In JCto & Cancellario Æmilius Probus, Natalium, integritatis & eruditionis ſplendorem requirit. Omnibus hiſce dotibus non tantùm, ſed multò pluribus fulſit & coruſcavit COTHMANNUS noſter. Patriam enim habuit non Arcadiam ultimamve Thulen, ſed ingeniorum optimorum genetricem & efformatricem fertilem Weſtphaliam, urbem non Ithacam aſperrimis ſaxulis tanquàm indulum affixam, ſed Lemgoviam Lippiaci Comitat. Metropolin, Parentes non Therſites, ſed patritiâ & conſulari dignitate jam aliquot ſeculis conſpicuos. Natus etenim eſt viro Ampliſſimo DIDERICO COTHMANNO dictæ Lemgovienſis Reipub. Conſule meritiſſimo, matre matrona honoratiſſimâ CATHARINA GROTHENIA, viri prudentiſſimi DIDERICI GROTHEN, Conſulis ejusdem Reipubl. ſpectatiſſimi filia & ALEXANDRI GROTHEN, itidem quondam Conſulis, Religionis purioris, quâ etiamnùm Urbs dicta, per DEI gratiam fruitur, primi, poſt Papiſtici jugi excuſſionem, inſtauratoris, & Reformatoris, æternùm laudatiſſimi. Hiſce parentibus, ceu nobili utrimque radice generoſa hæcce ERNESTINA propago Anno 1557. VI. Decemb. progerminans & primâ ſtatim balbutie vernans, veræ pietatis & rectæ inſtitutionis ſenſim ſuffota & ſtipata adminiculis, in Schola patria in magnæ ſpei ſurculum excrevit, qui cum pro plantarum nobiliorum indole primævâ terra haud contentus, ſucci melioris aliundè attrahendi deſiderio, transplantari atque ità felicius & maturius florere amavit. Cui honeſtæ cupidini parens, annuens filium huncce, genitrice optatiſſima Anno 1565 14. Nov. orbatum, primo in Gymnaſium tunc temporis celebre Düſſeldorpianum ablegavit. Unde is bonarum litterarum fundamentis ſolidè jactis Academiam Juliam, Marpurgenſem & alias Germaniæ Muſas ſalutavit, Imprimis verò Themidi ſe totum mancipavit, eique ductu præceptorum fideliſſimorum imprimis Nicolai Vigelij, Valentini Forſteri, Regneri Sixtini, aliorum συγγενῶν ejus ævi, adeò dextrè & induſtriè litavit, ut ante tempus & ætatem myſtis primoribus accenſeretur. Parens de tàm felici filij ſucceſſu & progreſſu ſibi gratans, eundem divino motus inſtinctu ceu Roſam Lippiacam in Roſetum hocce nobile Megalburgicũ tranſponi deſiderans,

Acade-

Digitized by Google

Academiæ huic noſtræ donavit, in quâ Roſa iſta ſtatim fragrantiam ſuam ità ſparſit, ut ad ejusdem ſuavem nominis odorem ſtudioſi juris non ſecus ac muſcæ agminatim advolarent. Juvenis enim adhuc præceptores in hac Academiâ ita audiit, ut & auditores cum laude docuerit, & ex Collegiis ſuis, ceu ex equo Trojano infinitos viros Doctos, Aularum poſt & Curiarum præſules magnos eduxerit. Undè alma hæcce mater Academia alumnum huncce laboris, digno præmio haud deſtaudavit, ſed An. 1584. Diribitore & Decano Viro Conſultiſſimo HINRICO CAMERARIO, infulâ Doctorali decoravit, qua redimitus, Wittenbergenſem inſuper Academiam inviſit, in quà licet amicos & patronos, imò virtutis & eruditionis admiratores, & inter eosdem Vitum Winsheimium JCtum reperiſſet, tamen Rhodopolin ille velut nativum Roſæ hujus ſolum ſingulari fato redituriit, & huc reverſus à ſtudioſis non tantùm ab ejus ore pendentibus, veluti Pater, à Profeſſoribus ut filius & frater deſideratiſſimus amplexibus receptus, nec unquam dimiſſus, ſed & auſpiciis feliciſſimis Anno 1586. Menſe Septemb. connubiali fœdere virgini lectiſſimæ pudiciſſimæ ELISABETHÆ HEINIÆ, Viri Magnifici, Conſultiſſimi, FRIDERICI HEINII JCti, anteceſſores quondam hujus Academiæ, Ducalis itidem Conſiliarii & Reip. hujus Conſulis & Syndici integerrimi & laudatiſſimi filiæ, Conſultiſſimorum & Clariſſimorum virorum, JACOBI, ALBERTI, HINRICI fratrum Juris Doctorum, & M. STEPHANI HEINIORUM, collegarum & amicorum noſtrum ſorori, Viduæ nunc mœſtiſſimæ junctus, cum qua totos 38. annos adeò concorditer vixit, ut Viriplacæ templum inire, vel in gratiam, quæ nunquam vel leviter læſa fuit, redire neceſſe haud fuerit. Expertus eſt conjugii dulcedinem amaritudini mixtam. Liberos namq; ex eo ſuſtulit *quinq;* filios nimirum quatuor & filiam unicam. Gnatorum primus An. 1588. 13. Octob. natus, eodem die Chriſto renatus & denatus eſt. Secundo genitus Didericus An. 1590. lucem hanc aſpiciens, eadem usque ad An. 1605. feliciter fruiſcens patriſſare incipiens, in ipſo flore ætatis fatis ceſſit. Tertius filius Fridericus avo materno ὁμώνυμος Anno 1597 natus etiamnum ſuperſtes, patriæ virtutis æmulus, qui luſtratis pleriſque Germaniæ celebrioribus Academiis, à patre veluti ejusdem adventantis ſenectæ ſcipio, revocatus, ejuſdem veſtigia hactenus ſedulo ſectatus, præcepta veneratus eſt, & ex cineribus

Digitized by Google

phœnicijs paternis redivivum pullũ nobis pollicetur. Quartus filius Anno 1587. 29. Aug. ipſo eniſu extinctus eſt. Filia verò unica ANNA omnium matronalium virtutum ſplendore conſpicua matrimonio auſpicatiſſimo, Viro conſultiſſimo LAURENTIO STEPHANI J. D. & Profeſſori, nec non Illuſtriſſimi Principis noſtri, Dn. JOANNIS ALBERTI Ducis Megapolitani Conſiliario intimo, Collegæ noſtro obſervando juncta, ex quâ avus nepotes duos, neptes ſex, ex ijsque *Erneſtum, Margaretham, Eliſabetham & Annam* ſuperſtites vidit, neptes relinquas duas cum nepote cœlites ad æternam quietem præmiſit. Toto Conjugij tempore totus in laboribus fuit, publica privatis prætulit, cauſidicinam vulgarem licet præmijs invitatus, averſatus tamen eſt. Dn. Soceri ſuaſu & naturæ prono ductu Conſilijs ſcribendis operam impendit, adeoque gnaviter & inſigniter præſtitit, ut à Regibus, Principibus, Urbibus, Nobilibus conſultus oraculi loco, ejusque domus Provinciæ hujus velut Muſeum & Q. Mutij Scævolæ palatium fuerit. Hinc anno 1587. à Divo *Vdalrico* Duce Megapolitano in numerum Conſiliariorum adſcitus, aſſeſſor Areopagi Megapolitani ſecularis & Eccleſiaſtici delectus, Collegam nactus Magnum iſtum JACOBUM BORDINGIUM Cancellarium, ab eodem fraternè adamatus, ſpartam ſibi commiſſam ita exornavit, ut Principis iſtius Clementiam interruptam & illibatam ſit expertus. Quin etiam Divo *Vdalrico* Anno 1603. Menſe Martio defuncto & regimine ad fratrem *Carolum* devoluto, in priori ſtatione D. COTHMANNUS non tantùm permanſit, ſed & ab eodem ſucceſſori ſuo Reverendiſſ. Principi ac Domino, Dn. JOANNI ALBERTO non ſecus ac alter Zopirus commendatus, talisque re & facto probatus, talisque re & facto probatus, ad Cancellarij munus etiam invitus eſt evectus, ſeu potiùs pertractus eſt: Quod tamen ſuſcipiens divinâ ſuffultus ope adeò maſculè obijt, ut non minori in precio à Principe, quàm ab Alexandro Severo Papinianus vel Ulpianus, nec tàm pro Cancellario, quàm pro patre habitus fuerit. Agnovit quippe optimus princeps ſingulare DEI, teſte Eccleſiaſtico, donum eſſe, bonum Cancellarium, felicemque eum à Davide reputari, qui animum ad eundem converterit. Æmulatus eo ipſo eſt optimus Princeps Reges & Magnates cordatos, qui omni ætate Cancellarios & Conſiliarios, non politicos, nudos diſcurſus, rationesq; ſtatus crepantes, ſed JCtos vete-

ranos, uſu & experientiâ efformatos, ſummo ſtudio conquiſiverunt, conquiſitos audierunt, auditos amarunt, honorarunt, Agamemnon Neſtores potiùs, quàm Ajaces optabat, Trajanus Neratium Adrianus Salvianum, Alexander, Theodoſius, Juſtinianus omnesque cordati Imperatores JCtos ſacris ſcriniis præfecerunt. Et certè Cancellarius hic noſter dotibus ſuis eximiis omnium amores ſibi conciliavit. Quicquid enim in JCto rarum, in Conſiliario ſingulare laudari poteſt, id natura huic ſoli affatim & largâ veluti manu contulit, adeò, ut quod multis Canonibus de officio Cancellarii, Conſiliarii, Conſultoris boni & anteceſſoris fidelis hinc indè deſcriptum reperitur, in COTHMANNIANA imagine expreſſum exhibeatur. Quid in Academia & pro eadem præſtiterit, nobis ſilentibus, monumenta præclara loquuntur, nec ulla abolebit oblivio. Molem certè laborum adeò immenſam ſuſtinuit, ut, quod de Achillis armis Homerus ſcribit, ea, Achile defuncto à nullo moveri potuiſſe, de armis togatæ militiæ COTHMANNIANIS dici haud immeritò queat. Nec verò juris tantùm ſcientiâ polluit, nec Codicis profeſſor Juſtinianeum Codicem tantùm explicuit, ſed & ſacrum quoque Codicem & Patres, ac inter eos Auguſtinum aſſiduè evolvit, adeoque calluit, ut quod Cicero de ſe gloriatur, triduo ſe JCtum fore, id meritiſſimo jure ſibi in Theologia, vindicare potuerit. Hoc ſtudium maturrimæ imprimis ætati reſervavit, eoque animum adverſus omnes calummarum inſultus obfirmavit, moriens animam pavit, & quam homines natura pavent, mortem nimirum, hanc ille lucro ſibi duxit. Ut verò COTHMANNUS noſter, dùm vixit, Principi Cancellarius optatiſſimus Academiæ defenſor imperterritus, Facultatis Juridicæ Senior venerandus, Conjugi nunc viduæ maritus dilectiſſimus, liberis parens mellitiſſimus, fratri viro conſultiſſimo JOANNI COTHMANNO, Collega & frater integerrimus exſtitit, ita ejusdem præmaturus obitus omnibus prædictis mœrorem acerbiſſimum peperit. Illuſtriſſimus Princeps clementiam, quâ vegetum & valentem, Cancellarium ſemper eſt proſecutus, eandem erga ægrum & languentem probavit, Quicquid alexipharmaci, panchreſti & panaceæ in thecis habuit, promptè ſuppeditavit, Æſculapii vires & artem inſuper optavit, ſed vis morbi artem omnem ſuperavit. Valetudine enim à primis conjugii annis ob labores adſiduos, & fortaſſis paucis imitabiles, vi-

xit imbecilliore, quam tamen decenti victus ratione & medicamentorum uſu, deinceps ita emendavit, ut quotidiè vegetior & vividior appareret, ac quà facultates corporis & animæ earumque actiones ſatis expeditus eſſet, niſi quod multis annis pertinacior alvi duriries, procul dubio à vita ſedentaria, & perpetua in graviſſimis cauſis dignoſcendis & decidendis cura, fota & aucta maneret, quam ſæpenumero emollientibus aliisque mediis diſſolvere imprimis opus habuit. Quo modo DEI gratia contigit, ut hactenus, decurſu aliquot ſupra viginti annorum, mediocri valetudine præditus fuerit. Ante quinquennium tamen Hyppochondriacæ & Scorbuti nonnunquam inſultus, cum vertigine per intervalla moleſta expertus fuit, à quibus ſimiliter liberatus revaluit, & ad priſtina munia, quibus obeundis in ipſis ſæpè morborum paroxyſmis ſeſe impigerrimum præſtitit, feliciter reverſus eſt. Senſit verò paullatim continuis iſtis & Herculeis ferè laboribus nativum calorem minui, & facultates naturales, imprimisque ventriculi, quem toti corpori famulari oportet, cujusque detrimentum in Epidem. dicebat Hippocrates, ſubindè magisque vacillare, & officium ſuum minus rectè facere. Quo factum, ut non rarò inflationi & doloribus inferioris ventris obnoxius redderetur; quibus ſedandis, quoties debita remedia adhibebantur, iſta non parum profuiſſe viſa ſunt, donec non ita pridem, ob fæcum alvi moleſtiſſimam retentionem, immenſa flatuum copia coacervaretur, qui exitum non reperientes inteſtina enormiter diſtenderunt, & cruciatus acerbiſſimos totius abdominis excitarunt. Iis quodammodo mitigatis, quum nihiloſecius maxima virium imbecillitas perſeveraret, & in natura jam junctis ſuis partibus labefactatâ ſibi, nihil eſſe præſidii, neque tantillum in Arte medica ſpei, ſed omnia inclinare ad finem ultimum, quem prorogare nullius diligentia poſſet, ipſemet æger, utpote rerum medicarum imprimis gnarus, animadverteret, maxima animi tranquillitate, & ab omni perturbatione libera mente, totum ſeſe convertit ad Servatorem generis mortalium unicum Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, atque fiduciam in ipſum ſuam & ore & omnibus rebus teſtatam fecit viatico ſalvifico ſanguine & corpore Emanuelis noſtri animam inſtruxit, ſicque ſe ad vitæ exitum patientiſſimè paravit, neque quidquam iſtorum negle-

neglexit, quæ tali tempore tranſigenda erant viro ſapientiſſimo & piiſſimo; quod ſciunt & ſanctè dicere poſſunt, quorum lacrumæ & preces beatiſſimam ejus animam ex his corporis compedibus in æternam patriam migrantem ingenti luctu ſunt proſequutæ. Vivit nunc & omiſsâ mortalitatis ſarcinâ ad originem ſui reverſus, ſupraque omnem invidiæ nubem poſitus eſt, fama fruitur, quam meruit, felicitate potitur, quam quæſiit, vivere ibi cepit, ubi clarere nunquam deſinit, ubi nulla Serenum umbra turbabit:

Abſint itaque inani funere naniæ
Luctusque turpis & quarimonia.

Supereſt, ut juſta Collegæ Patri & Præceptori communi debita ſolvantur. Lex 12. tabularum viris, quos merita in cœlum vocarunt, delubra erigi jubet. Mario, ob ſcholam monetariam apertam populus Romanus auream ſtatuam cum perpetuis ardentibus cereis, ſimilemque memoriam Hermodoro Epheſio, ac Servio Sulpitio decrevit. Par certè, ſi non major honos COTHMANNO Herculi Academico debetur. Aſt Manes pii litterariis monumentis ipſis etiam pyramidibus Ægyptiacis vivacioribus contenti, ſolemnem tantùm Exuviarum terreſtrium ad dormitorium deductionem poſtulant. Ad quam, quotquot eſtis Cives Academici genuini, dùm vos invitamus Metelli funeris Scipionis Æmilianis præconiâ voce meritò utimur. Concurrite Cives, Mœnia urbis conciderunt. Concurrite nunc ad tumulum jacentis, ut ſoliti eſtis confluere ad pulpitum docentis, Concurrite, inquam, ad urbis meditullium, in quo urbis conditoribus ἀμφίπολον τάφον adornari ſolebat, in æde Divæ Mariæ ſacra convenire, illuc hodiè horâ media I. Muſageten veſtrum ſtipata catervâ deducite, ad ſimilem ex hac vita exitum pectus maturè præparare, JEHOVÆ Academiam, Urbem, Provinciam piis precibus commendate. P. P. Dominica Jubilate Anno 1624.

EPI-

EPIGRAMMATA
In Eminentiſſimi JCTI,
ERNESTI COTHMANNI
Prænomen.

Pertractent alii ungas, hic SERIA *tantùm*
Et gravia, ERNESTI *nomine digna boni.*
Adſuit ante tribus ducibus, nunc ante thronum usque
Vnius in triplici numine Regis adeſt.

In Ejusdem Cognomen.

Hoc ſpectent alii, ſanctique probique videri
Vt, poſſint, verè hic Vir bonus eſſe cupit.
Nam commune bonum ſi vir probus eſſe putatur,
Qui res procurat non ſine laude ſuas:
Publica, dum vivit, bona Cancellarius auget,
Atque ea privatis præpoſuiſſe ſtudet.

In Ejusdem Symbolum.

Omnis ab externo fructu cognoſcitur arbor,
Rectè COTHMANNI *Symbolon illud erat.*
Et probat hoc, pacem colit eſſe volebat oliva:
Nititur & contra pondera; palma fuit.

JOH. TARNOVIUS SS. Theol. D. & Prof.

Anagram.

ERNESTUS COTMANNUS JURISCONSULTUS.
(S. in C. converſo)
SOL JURIS MORTUUS: CUNCTA SENESCUNT.
MORTUUS *eſt* JURIS SOL: *Hei! ſic* CUNCTA SENESCUNT,
Nec ſtabile in toto permanet orbe decus.

BERNH. LUDERINGIUS.

Cum meditaretur COTHMANNI *funera Clejo,*
Altius in laudes ire parata viri;
Excuſsâ manibus tabulâ, par laudibus ejus
Sola futura Themis, deſine, Phœbus ait.
Vt tamen exequias decoremus, ſufficit, illi
Diſtichon exiguis tale dediſſe metris:

COTH-

COTHMANNUS *moritur, tuus, O Themis alma, Sacerdos,*
Qui vetuit Leges juraque ſancta mori.

M. PANCRATIUS AMSELIUS.

SCRIPTA.

Reſponſa juris ſive Conſilia quinque voluminibus comprehenſa: *Francof.* 1597. 1615. 1662. in fol.

Reſponſorum juris & Conſultationum Academicarum liber ſingularis: *ibid.* 1613. in fol.

Diſputationes juris Civilis: *VVitteb.* 1590. *in* 12.

Meditationes piæ de remediis adverſus calamitates, preſſuras atque calumnias, & de inimicis diligendis, excerptæ ex S. Auguſtino & in ordinem redactæ: *Roſtochii* 1614. in 4.

Commentar. in primum librum Codicis Juſtiniani: *Francof.* 1616. in 4.

Inſtitutiones Imperiales Juſtinianeæ ad Compendium redactæ: *Roſtoch.* 1618. 1625. in 12.

Seine gottſelige Betrachtung etzlicher wolbewehrten geiſtlichen Recepten, derer ſich ein frommer Chriſt im lieben Creutz mag gebrauchen: Stettin 1615. in 8.

PRO-

PROGRAMMA.

In funere

Viri Magnifici, Ampliſſimi atque Conſultiſſimi,

DN. BENEDICTI CARPZOVII,

J. U. D. Illuſtriſſimæ Principis ac Dominæ, Dominæ SOPHIÆ &c. D. CHRISTIANI I. Electoris ac Ducis Saxon. Viduæ quondam Cancellarii, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Electoris Saxoniæ Conſiliarii, nec non Supremi Dicaſterii Dresdæ, quod Appellationum vocant, Aſſeſſoris digniſſimi,

P. P.

à

RECTORE ACAD. WITTEBERGENSIS JACOBO MARTINI SS. Theol. Doct. & Prof. Publ.

QVod in cujuspiam de Romanorum illuſtribus viris funere aliquando dictum eſt, victorem gentium populum ad celebriores exequias venturum facilè non eſſe; id hodiernâ luce uſurpare poſſumus, dum Viri Magnifici, Ampliſſimi ac Eminentiſſimi DN. BENEDICTI CARPZOVII, J. U. D. Illuſtriſſimæ Principis ac Dominæ, Dominæ SOPHIÆ &c. D. CHRISTIANI I. Electoris ac Ducis Saxon. Viduæ, τȣ̃ ἐν ἁγίοις Excancellarii, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Electoris Saxoniæ Conſiliarii, Vobis, ſtudioſi juvenes, pro more, indicimus funus. Nam quamquam ille per cædem ac ſanguinem ad decus & gloriam graſſatus non eſt, ferroque ac manu vel tutatus patriæ fines, vel auxit ac prolatavit; id laudis tamen prudentiæ artibus, quæ in ſagacitate conſiliorum & rebus ritè dextreque peragendis conſiſtunt, conſequutus eſt, ut pauciſſimos exiſtimare liceat, qui paria cum ipſo facere mereantur,

antnr. Quocirca & nos, qui nunc nuper iterum, ſingulari beneficio Numinis, ipſum poſſidere cepimus, exceſſum ipſius non aliter interpretamur, quàm præclariſſimi luminis ac ornamenti, non modò Academiæ, ſed & univerſim noſtræ Civitatis, privationem omnium amariſſimam. Nam quis tam Homericis oculis, tam infantili inſcitia eſt, qui non ſtatim videre atque conjicere queat, quantum ſplendoris ac dignitatis, quantum gloriæ famæque ad nos ex eo redundarit viro, qui honoribus atque muneribus ſplendidiſſimis defunctus jure ſuo dicere poterat, quod Ennianus ille Apollo apud Tullium gloriatur, *eum ſe eſſe*

Vnde ſibi populi & reges conſilium expetant
Suarum rerum incerti, quas ille ſua ope ex
Incertis certos, compotesque conſili
Dimittat, ne res temerè tractent turbidas?

Cæterùm quia ſalubre cumprimis atque frugiferum eſt, clarorum Virorum exempla propoſita præter oculos aſſiduè intueri, quum fieri vix poſſit, quin quorum virtutes legimus, & imitari quoque ſtudeamus: nos nec præter rem, nec receptam conſuetudinem hactenus facturi ſumus, ſitam egregii & ſingularis viri vitam breviter ab initiis repetamus. Ut igitur exordiamur à patria, eam ſibi ſortitus eſt Brandenburgum, vetuſtum & celebre Marchiæ oppidum: ubi anno cIɔ Iɔ LXV. a. d. XXII. Octobris ſub prima diei exordia, quinta ſcilicet matutina, ab honeſtiſſimis Parentibus genitus, prodivit in lucem. Patrem habuit SIMONEM, Virtutis atque prudentiæ meritò primariam Conſulatus dignitatem conſequutum; matrem ANNAM, Dn. BENEDICTI LINDHOLZII Strausburgenſis Reip. Conſ. filiam, ornatiſſimam & præſtantiſſimam fœminam. In horum ſinu educatus, tam compoſitis & emendatis moribus ſe adſuevit, ut ſicut in herbeſcenti ſegete illa læta vernansque viriditas futuræ meſſis indicium eſt; ſic non obſcuro argumento jam tum oſtenderet, quem mirati tentopere ſumus hactenus, & multi Principes ad Electores Potentiſſimi amarunt, hoc eſt, pium juſtum, fidelem, ſedulum, continentem, integrum, amatorem pacis & veritatis, tuùm gravitate hilarem, cum ſerietate quadam remiſſum. Literarum ac doctrinarum ſtudia amavit à pueris: quibus parentum auſpiciis eò ſe applicuit feliciùs, quò naturam inſigniorem dociliusq; ad percipiendas hone-

honeſtas diſciplinas ingenium meliori naſcendi lege fuerat conſequutus. Prima rudimenta in patria partim, partim in Brunovicenſi ſchola poſuit. Ubi quum earum linguarum, quas penes eſt eruditio diſſerendi item, & aliarum artium, quæ liberalium nomine venire ſolent, cognitionem ſibi neceſſariam comparaſſet, in Francofurtenſem Academiam anno Chriſti cIɔ Iɔ LXXXIII. profectus, ſedulam Juri Civili atque Canonico operam navare cepit. In quo ſtudiorum genere tam laudabiles atque egregios cum tempore profectus fecit, ut ſummum Doctoratus, quem vocant, gradum tandem quoque fuerit conſequutus. Nam poſteà quàm Wittebergæ, quò annò cIɔ Iɔ XXCIV. venerat, legitimum quadriennii tempus incæpto Juris ſtudio expleviſſet, & viſitatis Altorfina, Ingolſtadiana, Tubingenſi, Argentoratenſi, Heidelbergenſi denique Academiis, anno cIɔ Iɔ XC. reverſus fuiſſet in patriam, Wittebergam inde iterum venit, gradumque Doctoris in utroque jure & petiit & impetravit: quippe qui poſt legitima experimenta, Decano ſpectatiſſimo, Viro Nobiliſſimo atque Ampliſſimo, Dn. EBERHARDO à WEIHE JCto Celeberrimo, Brabeuta, Viro Clariſſimo & Conſultiſſimo D. JOHANNE LIMMERO J. U. D. ſolenniter publiceque omnia illius dignitatis inſignia ac privilegia ad d. IIX. Septembris prædicti anni fuerit conſequutus. In illo autem dum verſaretur negotio, ſimul etiam factum eſt, ut cum florentiſſima & honeſtiſſima Virgine, ANNA, Viri Opinatiſſimi Dn. CONRADI FLUTHII, Senatoris & Medicamentarii Witebergenſis filia, matrimonium ritè contraheret ac feliciter iniret. Quum Doctoratus dignitatem eſſet adeptus, majorem quotidie doctrinæ atque ingenii ſui opinionem ubique concitavit: quo factum ut ſubinde evaderet celebrior, & ad alias aliasque dignitates admoveretur. Nam poſtquam anno cIɔ Iɔ XCII. in Ampliſſimum JCtorum Collegium eſſet cooptatus, ſecundo mox anno ab Illuſtri & Generoſo Dn. MARTINO, Comite in Reinſtein & Blanckenburgk / Cancellarii munus ipſi demandatum eſt, quod eâ conditione in ſe ſuſcepit, ut Wittebergæ ipſi manere integrum permitteretur. Mutare enim ſedes, quas fixerat, provinciamque in qua erat poſitus, gravibus adductus rationibus eò quidem tempore nolebat. Poſtea, anno cIɔ Iɔ XCIX. Profeſſio Inſtitution. Juris Juſtinianearum, & deinceps anno cIɔ Iɔ CI. Profeſſio Digeſti Infortiati & novi

novi demandata ipſi atque concredita eſt. Quo ipſo anno, poſt exceſſum prioris conjugis, quæ in difficillimò partu defecerat & exſpiraverat, ad vota ſecunda tranſiit, cumque Lectiſſima Virgine CHRISTINA, SAMUELIS SELFISCHII, Viri Conſularis & de hac urbe benemeritiſſimi filia, nuptias fecit. Inſequenti anno ab Illuſtriſſima Principe SOPHIA, D. CHRISTIANI I. Electoris Sax. Vidua hinc evocatus Dresdam Cancellarii ab ea demandatum munus, mox & Conſiliarii provinciam in cauſis Appellationum à Sereniſſimò Electore CHRISTIANO II. p. m. ſibi injunctam ſuſcepit, cui quidem officio ad obitum usque præfuit. Anno demum cIↃ IↃ CX. Illuſtriſſima Domina DOROTHEA, Duciſſa Saxoniæ & Abbatiſſa Quedlinburgenſis & ipſa quoque Conſiliarii partes ei detulit, quippe quem viderat hactenus & Matris Illuſtriſſimæ, & Sereniſſimi Fratris rebus tantopere advigilantem. Illis enim officiis omnibus, quæ recenſuimus hactenus, eâ fide, eâ induſtriâ & gnavitate præfuit, quæ ſumma maximaque veniat judicanda. Anno cIↃ IↃ CXXIIII. poſt obitum optimæ ac pientiſſimæ Principis SOPHIÆ &c. ex ſingulari Sereniſſimi Electoris indulgentia cum familia omni huc remigravit, ut procul à ſtrepitu, liberiore quiete ac otio tot curis delaſſatam ætatem refoveret. Quod tale tamen conſequi non potuit, quod extra negotia prorſus conſtitutum eſſet. Nam præterquam quod adhuc ipſi incumberent, quæ in conſilio Appellationum peragenda; ſanè & graviſſimarum rerum expeditiones, à Sereniſſ. Electore ipſi delegatas, adminiſtrare erat neceſſe. Sobolem habuit & numeroſam & talem, qua vel feliciſſimũ Patrem ſeſe poterat exiſtimare. Ex priori enim conjugio ſuſcepit filios, Viros Ampliſſ. & Excellentiſſ. Dn. CUNRADUM & Dn. BENEDICTUM, J. U. Doctores; ac illum quidem in Academia noſtra Profeſſorem Publicum, & Conſiſtorii ſacri ut & Dicaſterii Provincialis Aſſeſſorem; iſtum Electoralis Curiæ, quæ Lipſiæ eſt, Scabinum: Filias, ANNAM, quæ An. cIↃ IↃ CIX. Viro Præſtantiſſ. ERASMO LUDWIGERO, Patricio Hallenſi, fuit elocata, & MARIAM, nunc Viri Magnif. ac Præcellentiſſ. Dn. FRIDERICI LENZII, J. U. D. & Cancellarii Quedlinburgenſis uxorem. Ex altero ſecundoq; matrimonio ſuſcepit filios V. *Chriſtianum*; *Iohannem-Benedictum*, *Carolum*; *Auguſtum*; & *Iohannem*, qui quidem in tenera pueritia obiit; cæteri in Virtutes patrias feliciter adoleſcunt. Filias habuit IV,

ELISABETHAM, SOPHIAM, ANNAM-MARIAM, & CHRISTINAM ELISABETHAM: ex quibus ELISABETHA & ANNA MARIA in primo & ipſæ flore obierunt. Superiore menſe Julio, anno cIↃ IↃ CXXIV. ex febri quartana laborare cæpit: nihilominus tamen Diætæ, ut vocant, quæ ad d. 1. Auguſti, Jutrobоci, à Principibus circuli ſuperioris Saxonici inſtituta fuerat, Sereniſſimi Electoris juſſu interfuit, magis attendens, quid Reipubl. quàm ſuæ propriæ ſaluti deberet. Inde quum octavo poſt die rediiſſet, indies infirmior factus, & tandem denique prorſus decumbere, ob proſtratas & defectas penitus vires, coactus eſt. Quanquam autem furori morbi omnibus modis iretur obviam, nihilque auxilii ſolertiſſima Medicorum cura intentatum relinqueret, effici tamen non potuit, ut tam neceſſarius iſto tempore rebus publicis vir longiori vitæ reſervaretur. Superiore enim die Veneris, qui fuit XXVI. M. Novembris, inter ſecundam & tertiam pomeridianam placidiſſimo reſolutus obitu, vitam multis negotiis & curis exercitam quidem ac ſatis laborioſam, cæterùm factorum gloriâ illuſtrem atque conſpicuam, piè prorſus ac Chriſtianè finivit. Quô autem ille animô ægritudinem ſuam morbique moleſtias, quo mortem imminentem jam & ſupra caput adſtantem tulerit, quot quantasque moribundus pii & verè Chriſtiani animi dederit ſigna, qua mentis ſubmiſſione peccata ſua confeſſus à Deo eorum veniam petierit, quâ veneratione & devotiſſimâ reverentiâ SS. Domini & DEI noſtri Corpus & Sanguinem acceperit, dici ſatis non poteſt. Quibus omnibus armatus veluti ac præmunitus, liber ab omni metu, qui morientes ſæpius terret, ad eum, quem ſpirabat unum, in quo ſpes ſuas collocabat uno, JESUM CHRISTUM Servatorem noſtrum, evolavit. Quanquam verò tanto nobis imposterum Viro carendum ſit, virtutes tamen factaque ejus nobiſcum remanent. Quæ quum eâ conditione conſtricta non ſint, ut cum vita ſimul intercidant, aut brevi intra ſpacium temporis finiantur, arbitrari ſanè convenit, ipſum eum adeſſe nobis, quoties in illa intuebimur, & nunc exemplo ſuo eſſe utilem, quos conſilio quondam ac opera ivit adjutum. Semper ſupererit quod admirari, quod imitari liceat: illis præcipuè, qui vegeta mentis alacritate ad conſimile decus ac gloriam, ſuſtinent adſpirare. Efferetur ad H. l. poſtea ex ædibus, quas vivus habuit, & honeſtatus

concio-

concione funebri in Templo arcis Academico ritè atque ſolenniter à ſuis componetur. Cui actui ut frequentes nobiscum adeſſe velitis, pluribus vos adhortari, cenſemus ſanè rem penitùs ſupervacaneam. Quisquis enim pro pietate ſuâ contendet exequiis intereſſe illius Viri, qui vix alium habuit, hoc certè in loco, qui meritorum gloria cum eo contendi aut æquari poſſe videretur. P. P. ad d. XXX. Novembris, Anno recuperatæ gratiæ cIↃ IↃ CXXIV.

Habita inſuper fuit Excellentiſſimo huic Viro quædam ex *Pſalm.* XVI. 10. 11. *concio funebris* à *Balth. Meiſnero* SS. Theol. Doct. & Profeſſ. Witteberg.

VIR MAGNIFICUS BENEDICTUS CARPZOVIUS BEAT. M. JURIS UTRIUSQVE DOCTOR, SEREN. ATQVE POTENT. ELECTORIS SAXONIÆ CONSILIARIUS INTIMUS.

Ἀναγραμματικῶς

INSIGNE PATRIÆ DECUS: VIRTUTIS OCULUS: SUPERIS CARUS: ÆQVI COMES: ABIIT! MORTUUS CONDITUR SAXO! IN CINERE QVIES: AT NOMEN FLOREBIT.

Heſperus ut nitidas rutilanti lumine ſtellas
Vincit & occultat lucis honore ſuæ
Sic quoque BENDICTUS CARPZOV cognomine, cunctos
Marchica quos *tellus* ſubtus & intus alit.
Hic etenim variâ *Virtutum* luce coroſcus,
Numina fatidicæ *ſacra Themiſtos* adit:
Inclyta quem *Pallas* ſolidis atque aurea *Peitho*
Conſilus docuit *res* animare *Ducum:*
Quem *chartis, famaque* dedit populisque loquendum
Ingenio & genio *gloria* parta ſuo.
Hic INSIGNE DECUS PATRIÆ: VIRTUTIS amator
Atque OCULUS *dextra*: CARUS erat SUPERIS:
ÆQVI *juſtitia* gratusque COMESQVE fidelis:
Clarus amore domi; *clarus* honore *foris.*
Ah! ABIIT terris citò dira *febre peremptus!*
MORTUUS effertur! CONDITUR, heu, tumulo

Sub rigido SAXO, IN CINERE & *corpus* reQVIEScit:
Sub *Patris ætherei* numine *vita* latet.
NOMEN AT ipſius FLOREBIT, *lausque* manebit;
Non *Pietas, Virtus, Fama* perire ſinunt!

BASILIUS THAM.

In Tumulum.

BENEDICTI CARPZOVII,

Senioris, JCTI Magni & meritiſſimi.

CARPZOVIUS *Senior cubat hic, O flete relicti,*
Hic ſimul Ars, Pietas, Suada, Themisque cubant.
Saxea Saxonica es, ſi non hac funera defles,
Saxeus, hinc quisquis ſiccus abire poteſt.

BALTH. MEISNERUS D.

EPIGRAMMA

In obitum

JCTI INCOMPARABILIS,

BENEDICTI CARPZOVII.

Qui BENEDICTUS eras terræ conſtrictus habenis,
In cœlo potius nunc BENEDICTUS eris.
Nam ſi multa tuam cinxit BENEDICTIO vitam,
Atque tui ſtudii gloria ſi qua fuit;
Hæc equidem cunctos tetigit BENEDICTIO cives,
Quos bona nunc etiam dicere verba juvat.
Aſt Tibi, quis neſcit? geminati ſæpe labores
Curaque difficilis dona laboris erant.
Ingredere ergo DEI quo Te BENEDICTIO poſcit,
Præmia dum cœli Te BENEDICTA manent.
In terris retinet clarum hæc BENEDICTIO nomen,
Donec ad aſtra Deus nos BENEDICTA vocet.

ALIUD.

Hic eſt CARPZOVIUS tacita hæc quem Saxa recondunt,
Cui divinus honor cura ſuprema fuit;
Altera ſedulitas benè de virtute mereri,
Ultimo erat patriam condecorare ſuam.

At

At poſtquam licuit vivendi tangere finem,
Quæ magis excoluit, ſenſit amica magis.
Patria ſpondet enim memori ſub pectore laudem;
A virtute tamen gloria major erit:
Maxima ſed cœlo pietatis præmia reſtant,
Quæ Deus æternâ porrigit usque manu.
I nunc & triplici ſivis ſorte eſſe beatus,
Diſce à CARPZOVIO vivere, diſce mori.

CHRISTIANUS WEISE.

SCRIPTA.

Practica rerum Criminalium: *VVitteb.* 1635. 1646. 1658. 1665. 1670. in fol. *Lipſiæ* 1641. *Francof.* 1652. in fol. hujus ſynopſis à Gothofr. Suevo edita eſt *Lipſiæ* 1655. in 4. 1669. in 8.

De Capitulatione Cæſarea, ſive de lege Regia Germanorum: *Erfurti* 1623. *Lipſ.* 1640. 1651. in 4. *Hanov.* 1669. in fol.

Synopſis juris Feudalis X. Diſputationibus publicè propoſita: *VVitteb.* 1615 *Lipſ.* 1647. 1651. in 4.

Uſus Practicus Conſanguinitatis & Affinitatis in foro Saxonico, tribus diſputationibus ſubjectus: *Lipſ.* 1648. in 4. & 1664. in fol.

Centuria poſitionum juridicarum de juribus Fœminarum ſingularibus X. diſpp. propoſita: *ib.* 1651. 1653. in 4.

Deciſiones illuſtrium Saxonicarum: *Lipſ.* 1646. in 4. 1660. 1666. in fol. Earum ſynopſis per Petrum Pancratium Krauſſen edita eſt *Ienæ* 1669. in 8.

Definitiones forenſes ad Conſtitut. Saxon. *Francof.* 1638. 1650. 1660. *Lipſiæ* 1644 1663. in fol. Harum ſynopſis per Erneſtum Frid. Schröterum edita *Ienæ* 1664. in 4. 1669. in 8.

Volumen diſputationum Hiſtorico-Politico-Juridicarum: *Lipſ.* 1651. in 4. 1666. in fol.

De Oneribus Vaſalli Feudalibus, ſive debitis in foro Saxonico ex Fundo ſolvendis: *ibid.* 1654. in 4.

Definitiones Eccleſiaſticæ ſeu Conſiſtoriales: *Ibid.* 1649. 1653. *Hanoviæ* 1652. in 4. & 1665. in fol.

Proceſſus juris Saxonici: *Ienæ* 1657. *Dresdæ* 1667. in fol.

Opus Reſponſorum juris Electoralium: *Lipſ.* 1642. 1658. 1670. in fol.

Digitized by Google

Sub rigido SAXO, IN CINERE & *corpus* reQVIEScit:
Sub *Patris ætherei* numine *vita* latet.
NOMEN AT ipſius FLOREBIT, *lausque* manebit;
Non *Pietas*, *Virtus*, *Fama* perire ſinunt!

BASILIUS THAM.

In Tumulum.

BENEDICTI CARPZOVII,

Senioris, JCTI Magni & meritiſſimi.

CARPZOVIUS *Senior cubat hic, O flete relicti,*
Hic ſimul Ars, Pietas, Suada, Themisque cubant.
Saxea Saxonica es, ſi non hæc funera defles,
Saxeus, hinc quisquis ſiccus abire poteſt.

BALTH. MEISNERUS D.

EPIGRAMMA

In obitum

JCTI INCOMPARABILIS,

BENEDICTI CARPZOVII.

Qui BENEDICTUS eras terræ conſtrictus habenis,
In cœlo potius nunc BENEDICTUS eris.
Nam ſi multa tuam cinxit BENEDICTIO vitam,
Atque tui ſtudii gloria ſi qua fuit;
Hæc equidem cunctos tetigit BENEDICTIO cives,
Quos bona nunc etiam dicere verba juvat.
Aſt Tibi, quis neſcit? geminati ſæpe labores
Curaque difficilis dona laboris erant.
Ingredere ergo DEI quo Te BENEDICTIO poſcit,
Præmia dum cœli Te BENEDICTA manent.
In terris retinet clarum hæc BENEDICTIO nomen,
Donec ad aſtra Deus nos BENEDICTA vocet.

ALIUD.

Hic eſt CARPZOVIUS tacita hæc quem Saxa recondunt,
Cui divinus honor cura ſuprema fuit;
Altera ſedulitas benè de virtute mereri,
Ultimo erat patriam condecorare ſuam.

At

Digitized by Google

At poſtquam licuit vivendi tangere finem,
Quæ magis excoluit, ſentit amica magis.
Patria ſpondet enim memori ſub pectore laudem;
A virtute tamen gloria major erit:
Maxima ſed cœlo pietatis præmia reſtant,
Quæ Deus æternâ porrigit usque manu.
I nunc & triplici ſivis ſorte eſſe beatus,
Diſce à CARPZOVIO vivere, diſce mori.

CHRISTIANUS WEISE.

SCRIPTA.

Practica rerum Criminalium: *VVitteb.* 1635. 1646. 1658. 1665. 1670. in fol. *Lipſiæ* 1641. *Francof.* 1652. in fol. hujus ſynopſis à Gothofr. Suevo edita eſt *Lipſiæ* 1655. in 4. 1669. in 8.

De Capitulatione Cæſarea, ſive de lege Regia Germanorum: *Erfurti* 1623. *Lipſ.* 1640. 1651. in 4. *Hanov.* 1669. in fol.

Synopſis juris Feudalis X. Diſputationibus publicè propoſita: *VVitteb.* 1615 *Lipſ.* 1647. 1651. in 4.

Uſus Practicus Conſanguinitatis & Affinitatis in foro Saxonico, tribus diſputationibus ſubjectus: *Lipſ.* 1648. in 4. & 1664. in fol.

Centuria poſitionum juridicarum de juribus Fœminarum ſingularibus X. diſpp. propoſita: *ib.* 1651. 1653. in 4.

Deciſiones illuſtrium Saxonicarum: *Lipſ.* 1646. in 4. 1660. 1666. in fol. Earum ſynopſis per Petrum Pancratium Krauſſen edita eſt *Ienæ* 1669. in 8.

Definitiones forenſes ad Conſtitut. Saxon. *Francof.* 1638. 1650. 1660. *Lipſiæ* 1644 1663. in fol. Harum ſynopſis per Erneſtum Frid. Schröterum edita *Ienæ* 1664. in 4. 1669. in 8.

Volumen diſputationum Hiſtorico-Politico-Juridicarum: *Lipſ.* 1651. in 4. 1666. in fol.

De Oneribus Vaſalli Feudalibus, ſive debitis in foro Saxonico ex Fundo ſolvendis: *ibid.* 1654. in 4.

Definitiones Eccleſiaſticæ ſeu Conſiſtoriales: *Ibid.* 1649. 1653. *Hanoviæ* 1652. in 4. & 1665. in fol.

Proceſſus juris Saxonici: *Ienæ* 1657. *Dresdæ* 1667. in fol.

Opus Reſponſorum juris Electoralium: *Lipſ.* 1642. 1658. 1670. in fol.

Digitized by Google

Peinliche Sächſiſche Inquiſitions - und Achts = proceſſes: Leipzig 1662. Franckfurt 1653. in 4.

Diſputationes quoque ſequentes ſuo munivit Præſidiô: De Votis ſeptem Virorum: De contractu Mutui: De Inhibitionibus: De Pacto Confraternitatis Saxonico-Haſſiacæ: De non-provocando à domo Saxonica: De Tutelis: De rebus, quæ in Feudum dari poſſunt: De donatione bonorum utenſilium ſive geradæ Saxonicæ: Aſilum generale debitorum: De Regalibus Fiſci: De Remediis & Auxiliis: Vindicias juridico-Politicas Theologorum Lutheranorum, contra JCtos Dillingenſes, & quæ junctim editæ ſunt.

BIBLIOTECA NA
ROMA
VITTO EMA

MEMO-

Digitized by Google